




VLADIMIRI PVTINI
VLADIMIRI F.

ORATIONES SELECTAE
IN LATINVM VERSAE



MOSCOVIAE
MMXVI

ORATIO MONACHIENSIS

Oratio cum disceptatione post illius
exitum habita in Colloquio Monachiensi
de Incolumitate tuenda provehenda.

A.d. IV Id. Febr., anno MMVII
Monachii

ORATIO MONACHIENSIS 1–3

1. Vladimirus Putinus: Foederali Cancellariae, hero Teltschik, vobis, viri matronaeque egregii, gratias ago singulares.

2. Magni ego beneficii loco duco, quod rogatus sim ad conventum hunc 5 honestissimum, quem e nationibus plus quadraginta viri civiles, tribuni militum, negotiatores, homines multarum rerum periti celeberrimo virorum mulierumque coetu acturi venerunt. 10

3. Talem autem video esse huius conventus formam, ut in eo patiamini me liberius dicere, remotis rhetorum ampullis, qui ita solent suos ornare sermones, ut omnia indefinite callideque sane, vacue 15 tamen leviterque in medium proferant. Mihi tamen, in id genus conventu dicturo, licebit certe palam aperire quid ipse sentiam de omnium gentium incolumitate tegenda. Si vero, quae cogito, forte videar sociis nostris 20 plus aequo pugnaciter vel acriter, vel etiam incuriose dicere, ne suscenseant mihi peto rogoque. Nonne liberi dicturi conventui

ORATIO MONACHIENSIS 3–5

intersumus? Quam ob rem id est in votis,
ne dominus Teltschik sermone brevi
post initium intercepto, verba imperfecta
relinquat.

5 4. Quid igitur? Nomine omnium
gentium incolumitatis multo plura
comprehendi negotia quam ea solum, quae
ad firmitatem rerum militarium civiliumque
pertineant, inter omnes constat. Haec
10 autem qui agitant, necesse habent animos
advertere ad firmitatem aerarii mundani,
ad egestatem gliscentem, ad incolumitatem
rei pecuniariae, ad incrementa mutuae inter
homines et moribus et institutis diversos
15 colloctionis congressusque.

5. Quae omnia in universum ita
inter se arcte coniunguntur, ut a quaesita
incolumitate minime seiungi possint, cum
potius perbelle confirment illud ‘in unius
20 incolumitate omnium incolumitatem esse
sitam’. Paucis enim post diebus quam
Bellum Mundanum Alterum flagraverat,
haec maxime verba a Francino D. Roosevelt

ORATIO MONACHIENSIS 5–8

prompta esse traduntur: Violata pace ubivis
terrarum, omnium ubique gentium pacem
periclitari.

6. Ac mihi quidem haec verba videntur
etiamnunc multi roboris esse, quem ad 5
modum ipsa, quam huc congressi agitamus,
causa, de discriminibus mundanis ad
omnes pertinentibus disputantes, palam
sub aspectum subicit.

7. Lustris abhinc vix quattuor duae 10
maxime fuerunt in orbe terrarum factiones
inter se doctrinis civilibus rationibusque
pecuniariis summopere seiunctae et
separatae, quae tamen, cum virtute
potestateque idem fere possent, totius orbis 15
incolumitatem pari velut libra tenebant.

8. Quae rerum omnium aequilibras
gravissima plerumque incommoda rei
pecuniariae vitaeque socialis longe
pepulerat ac velut exturbaverat e provincia 20
rerum, quae omnium gentium coetui
humanoque generi superessent agenda.
Quod autem solet post bella fieri, nobis,

ORATIO MONACHIENSIS 8–11

bello -ut aiunt- frigido semel confecto,
arma telaque quodam modo sunt relictæ.
Quid istuc verbi est? Doctrinas dico
solidatas, pondera iniqua aliaque id genus
5 quæ solebant quo tempore bellum frigidum
ducebatur cogitari.

9. At qui bello frigido confecto conati
sunt res humanas cunctas uni velut factioni
adtribuere, frustra temptaverunt.

10 10. Nemo sane infitias ibit, factum
esse interdum, ut res humanæ uni tantum
addicerentur factioni, quæ omnium rerum
potiri per universas terras appeteret inhians
dominationi. Quid enim post hominum
15 memoriam est, quod non evenerit?

11. Quamquam, orbem terrarum uni
factioni addictum quid vocamus? Ut
vocabulum quolibet perpolias artificio,
unam tamen rem ad summam designaturus
20 es, rerum nempe statum, in quo unus stet
cardo imperii, unum potestatis domicilium,
una tantum sedes eorum, qui consilia
capiant maxima.

ORATIO MONACHIENSIS 12–15

12. Isto in loco unus magister, unus dominator. Quis autem huius condicionis exitus erit? Quem alium putas, nisi ut ad extremum coepta res perniciem moliatur non iis omnibus modo, qui ea ratione 5 contineantur, verum etiam dominatori, cum semet ipsum intrinsecus ultro perdat atque evertat?

13. Quae quidem res nihil prorsus commune habet cum populari civitate. 10 Non enim ignoratis esse popularem civitatem sitam in plurimorum consensu, qui potestatem exerceant ratione utilitatis opinionisque parti minori inhaerentis.

14. Nos – ut exemplum afferam velut 15 in transcurso – nos, inquam, qui in Russia vivimus, adsidue docemur, quid popularis civitatis nomine intellegi debeat. At miro quodam casu fit, ut doctores semet ipsos docere neglegant. 20

15. Dicam quod sentiam: ratio dominationis uni tantum factioni addictae mihi quidem videtur esse, ut nunc sunt

ORATIO MONACHIENSIS 15–18

res, non modo improbabilis, verum etiam
impossibilis. Quatenam sit causa, cur ita
censeam, non equidem celabo. Non solum
enim, si, ut nunc maxime res se habent –
5 de hodierno enim cum maxime dicimus
– potentatus ad unum rediret virum, opes
politicae, bellicae, pecuniariae satis non
essent, verum etiam multoque magis forma
ipsa claudicat, siquidem in eius velut solo
10 et fundamento nulli sunt boni mores, qui
humano cultui huius aetatis congruant et
adhaereant.

16. Atqui, id – quod nuper agitare
coepimus – fieri in rebus, quae nunc sunt,
15 conspicimus: conantur quidam eiusmodi
formam dominationis uni factioni addictae
negotiis inter gentes expediendis adtribuere.

17. At qualis eventus, quatenam inde
consecutio?

20 18. Actus unilateri, praeterquam
quod haud raro sunt illegitimi, praeterea
numquam res molestas diluerunt, saepe
homines nefarie vexaverunt, contentiones

ORATIO MONACHIENSIS 18–20

de principatu excitarunt novas. Vos consulite
cum animis vestris: nec bella neque proelia
singulis in locis regionibusve rariora facta
sunt, quod quidem herus Teltschik caute
atque consulte monuit. Non numerus 5
decrevit hominum qui in huiusmodi proeliis
leto absumuntur. Quin immo vel maior
factus est multoque ingentior!

19. Testimonio sumus in praesens
tempus rerum statui, in quo omnis spes 10
negotia inter gentes expediendi praeter
modum rationemque in sola vi et armis sita
est; ex quo fit, ut mundus hauriatur quasi
gurgitibus conflictionum sine intermissione
deflagrantium. Quam ob rem nobis satis 15
virium non est, ut harum conflictionum
finem in perpetuum faciamus, cum per
potestatem civilem eiusmodi lites dissolvi
nequeant.

20. Ius autem gentium magis 20
magisque despicitur, eius summa principia
conculcantur. Per idem tamen tempus
normae legum nulli obnoxiae – quod res

ORATIO MONACHIENSIS 20–22

ipsae monent – iuribus legibusque certae
cuiusdam civitatis in dies propius accedunt.
Quae civitas – de Civitatibus Foederatis, ut
par est, imprimis dicimus – quoquo modo
5 suae nationis fines praetergressa est. Res
minime obscura est considerantibus, quid
civitas illa ceteris gentibus iniunxerit in
negotiis nummariis, in rebus civilibus, in
animi cultu et humanitate, in rationibus
10 denique disciplinae educationisque
tradendae. Quem igitur hic rerum status
delectet? Quis gaudium ex illis capiat?

21. In commerciis inter gentes
intercedentibus non parum saepe fit, ut
15 animos hominum deprehendamus proclives
ad negotia diluenda iuxta principia in
publica opportunitate reposita, politicae
temperiei inserviando.

22. Quantum periculi hac in ratione
20 agendi residat, non est cur dicamus. Nemo
enim se incolumem et securum esse sentit.
Id potissimum ecferre volo: neminem se
incolumem sentire securumque. Nemo

ORATIO MONACHIENSIS 22–25

enim sentit se iure gentium quasi moenibus
cingi tegique. Quae quidem ratio, ut par est,
excitat fovetque quandam quasi armorum
aemulationem.

23. Dominium autem in quo vis omnia 5
apud omnes potest miratae, nonnullae
civitates necessario impelluntur, ut arma
telaque interneciva acquirant. Huc accedit,
quod minationum agmen in dies extenditur,
quae, ut fuerint retro probe notae, nunc 10
tamen admodum renovatae redeunt eaeque
toti terrarum orbi minantur, ut nostra
memoria solent facinorosi qui in terrore
imperium suum situm volunt.

24. Illud enim mihi est plane 15
persuasum, nos ad discrimen eiusmodi
adductos esse, ut graviter cogitandum sit,
quam ratione totius orbis incolumitatem
quodammodo aedificemus.

25. Quem ad finem ut perveniamus 20
nitentes, oportet utilitates commodaque
omnium, qui mutuae gentium sermonis
communicationi intersint, aequis libremus

ORATIO MONACHIENSIS 25–26

lancibus rationeque temperemus, idcirco
potissimum id officium servantes, quod
prospectus – ut ita dicamus – gentium
nationumque in dies singulos magis varius
5 apparet celeriterque mutatur, propter
fortunas proprias quibusdam in civitatibus
regionibusque non mediocriter augendas.

26. Illustris hera Cancellaria Foederalis
id iam memoravit. Lucra domestica integra
10 aggregata (quae ratione compediaria GDP
solent vocari) aestimata ad parilitatem
potestatis acquirendi duarum civitatum,
quae India et Sinae sunt, iam nunc excedunt
eadem lucra a Foederatis Civitatibus
15 percepta. Si ad similem computationem
revocemus lucra domestica integracivitatum
quae litteris compendiariis solent BRIC
designari, ut Brasilia, Russia, India, Sinae
expeditius significantur, comperiamus,
20 eorum reditu lucra domestica integra
aggregata ab Europa Consociata educta
superari. Adde quod harum rerum periti
censent, fieri non posse, quin intercapedo

ORATIO MONACHIENSIS 26–29

qua Europae Consociatae civitates a civitatibus BRIC dictis disiunguntur, posthac crescat et augeatur.

27. Quis credat futurum non esse, ut potentia nummaria in his quasi novis domiciliis sita, in quibus mundana multiplicatur pecunia, necessario incipiat vim maximam habere ad civilem potestatem, ut faveatur multiplicitati cuidam factionum, vel dicamus polorum, consolidandae? 10

28. Cui rei arcte coniunctum est incrementum partium, quae liberarum civitatum legatis tribuuntur, quaeque in dies suo ipso molimine graviores fiunt. Nemo sane infitias ibit, in rebus quae ad civilem pertineant potestatem, instanter desiderari, ut omnia in aperto fiant, admoto rebus notitiae lumine, velut ex praedicto, cum non sit alioqui vis adhibenda nisi maximis de causis, non aliter quam cum noxiae poena capitis interdum passim afficiuntur. 15 20

29. Attamen nos hodie res praepostera maxime ratione fieri pervidemus. Sunt

ORATIO MONACHIENSIS 29–30

enim civitates, quae, cum domi poenam
capitis omnino detrectent et aversentur vel
in sceleribus immanibus et nefandis, non
dubitent tamen mira facilitate ad bella fera
5 proficisci et proeliis vix legitimis iustisve
habendis interesse. Quibus bellis homines
plurimi leto absumuntur – tot centeni,
milleni cives!

30. Atque per idem tempus quasi sua
10 sponte oritur quaestio, utrum surdis similes
domestica civitatum alienarum bella susque
deque potius habeamus, potentatus aequae
immanes dominationesque immoderatas
patiamur atque armorum internecivorum
15 auctum neglegamus oporteat, necne.
Id enim ipsum fuit velut media rogati
medulla, de quo herus Lieberman, amicus
nobis et familiaris, dominam Cancellariam
Foederalem in consilium advocavit. Quod
20 rogatum (herum Lieberman adloquor), ut
opinio mea est, perquam grave minimeque
spernendum videtur esse. Fas esse nobis,
quae fiant, neglegenter spectare, ecquis

ORATIO MONACHIENSIS 30–32

est qui censeat? Nemo scilicet censet.

31. Suntne vero nobis praesto tela,
quibus minationes illas propulsemus? Sunt
profecto. Cur autem aut vetera aut aliena
proferam potius quam et nostra et recentia? 5
Nonne patria nostra inoffenso pede ad
popularem civitatem potestatemque venit?
Testificamur ipsi sovieticam dominationem
– qualem dicimus dominationem! –
pacatis rebus et minime turbulentis in 10
alium venisse mundum. Cui dominationi
quantus copiarum numerus, quanta
denique vis armorum! Quid igitur causae
est, cur his temporibus, quoties se occasio
dederit, omnia igne ferroque vastemus? 15
Nonne haec fiunt, sine minis perniciosis
ultro citroque datis acceptis, ut virtutem
civilem despiciamus, popularem utilitatem
seponamus, legum denique aspernemur
timorem? 20

32. Unum equidem modum experiundi
vim, ubi ultima necessitas cogat, in legum
constitutione situm video, quarum artifex

ORATIO MONACHIENSIS 32

fuit Unitarum Nationum Consociatio (UN).
Qua opinione, quae penitus meo in animo
insedit, prohibeor intellegere quid essedicam
hoc, quod sodalis noster, qui Italis tuendis
5 praeest, modo edisseruit; ni forte parum
accurate suum ille panderit consilium. Utut
res se habent, id mihi videor intellexisse:
iniussu vel Confoederationis Atlanticae
(NATO), vel Europae Consociatae (EU)
10 vel Consociationis Unitarum Nationum
legitime vim adhiberi nefas esse. Quodsi
eiusmodi sententia eius est, non eodem ego
modo atque ille iudico. Nisi ego, quid ille
velit, minus recte animo comprehensum
15 atque perceptum habeo. Omnis enim vis
tum legitime probatur, cum ad vim edictum
adiungitur a Consociatione Unitarum
Nationum latum. Nec vero nobis est
necesse, ut in locum huius Consociationis
20 Confoederationem Atlanticam Europamve
Consociatam substituamus. Res autem
non ante in melius mutari poterunt, quam
homines inter liberas civitates constitutas

ORATIO MONACHIENSIS 32–35

leges aspernari destiterint, Unitarum
autem Nationum Consociatio, viribus
gentium in unum coalescentibus,
verissima spe valeat obtundere impetus
qui multifariam concitantur. Quod nisi fiat, 5
nihil reliquum est, quam ut, quasi caecus
iter monstrare velit, graviter homines
labantur ac populi turpiter errent. Nec
satis est haec perfecisse, cum id pariter sit
necesse promittamus in nosque recipiamus: 10
fore iuris gentium normas, doctrina et usu,
communes gentibus universis.

33. Neque id nobis ex animo exire debet,
non posse in populari re publica manus
seungi ac separari a labore negotioque in 15
medium consulendi ad consilia capienda.

34. Domini dominaeque amicissimi!
Periculum est, ne commercia
consuetudinesque inter gentes instituta
labefactentur cum omnia consilia frigeant 20
ad necessitatem ab armis discedendi
pertinentia.

35. Fovent Russi et commendant

ORATIO MONACHIENSIS 35–37

colloquium de hac re ingentissima resumendum.

36. Id maxime refert, arma ad internecionem caedentia iuri gentium
5 obtemperare et parere, ne desistatur a proposito deponendi arma nucleorum vi explodentia.

37. Quo in genere sunt missilia, quorum copiam cum Foederatis Civitatibus
10 Americae communi consilio sanximus ita imminuere, ut ab anno MMXII, pridie Kal. Ian., plus quam 1700, vel ad summum 2200, nobis non sint praesto. Russi cives, quippe qui oneribus susceptis
15 obtemperare et oboedire velint, idem per socios fieri optima spe tenentur. Utinam socii dent operam, quod polliciti sint, ut exitu praestent, atque remotis mendaciis, aperte candideque detrectent vel plusculum
20 inutilium ad salutem armorum sibi servare, ad omnes, ut aiunt, casus. Hoc nobis confirmet hodie, qui nuper est creatus, administer rei publicae Americanorum

ORATIO MONACHIENSIS 37–39

tutandae praefectus: futurum non esse,
ut armorum copia extra modum clam
furtimque in armamentariis asservetur.
Omnes tunc, me auctore, huic assurgemus
plausum multiplicem daturi. Tanta esse 5
puto eiusmodi verborum pondera!

38. Russorum civitas arctissimo
se societatis foedere iunxit, ut perinde
multiplicatio armorum nuclei vi
explosionum praepediatur atque plures 10
simul civitates operam socient in regendis
instrumentis rationibusque ad missilia
fabricanda necessariis. Principiis porro,
quae illis foederibus continentur universi
omnes devincti sumus. 15

39. Quae cum exposuerim, non
alienum est hic illud quoque commemorare:
nono decennio saeculi XX inter Unionem
Rerum publicarum Socialisticarum
Sovieticarum et Civitates Foederatas 20
pactionem factam esse de certo quodam
genere missilium minimi medique iactus
penitus destruendo. Quo tamen foedere non

ORATIO MONACHIENSIS 39–42

universi omnes devincti et obligati sunt .

40. Hodie vero multis aliis civitatibus,
quarum in numero est Res publica
popularis Coreana, Res publica Coreana,
5 India, Irania, Pakistania, Israel, talia
missilia sunt in promptu. Nonnullae
civitates rationes consiliaque in eum finem
naviter moliuntur, ut eiusmodi armis sua
armamentaria instruant et augeant. Solis
10 tamen Civitatibus Foederatis et Russicae
Nationi cura incumbit, ne id genus arma
promoveantur.

41. At cum res ita se habeant, nostrum
esse ut nosmet ipsos tueamur ac protegamus,
15 quis negaverit?

42. Quae cum dicamus, non propterea
sancire volumus exquisitissimorum
armorum usum et inventum renovatum,
quibus tranquillitas rerum gravissime
20 labefactaretur. Quid multa? De spatio
sidereo dico, in quo novis certationibus
obstare debemus, siquidem bellum
sidereum iam desiit fabula commenticia

ORATIO MONACHIENSIS 42–45

esse, in re ipsa nunc ibi bellatur. Saeculo vicesimo, medio fere decennio nono, Americani, socii nostri, satellitem suum intercipere iam valuerunt.

43. Ut est Russorum opinio, nemo 5
potest coniectura prospicere, quanta
malorum impendat Ilias, si armis et
exercitibus in spatium sidereum invectis
validis nucleorum viribus saeva et infesta
tempora iterum oriantur. Saepius autem 10
rem in medium vocavimus, ut opportunis
consiliis obstaretur, quominus arma inter
sidera adhiberentur.

44. Nos igitur pactionem fieri de
armorum collocatione inter sidera 15
prohibenda animis destinasse scitote.
Propediem vero socios nostros de re
publice edocebimus tota. Agedum, studia
vestra curasque omnes nobiscum simul
coniungite! 20

45. Et certe, qui defensionem
missilium in Europa partim propagare
moliuntur, consiliis nostris non solum

ORATIO MONACHIENSIS 45–46

nihil opis, nihil auxilii ferunt, verum etiam
necessario sunt molesti. At nemo nostrum
flagitat, certo scio, longius progredi, ut eatur
in armorum aemulationem non fugiendam,
5 quam civibus Europaeis gratam esse fore,
ut credam, vix equidem adducor.

46. Nec vero id effici posse confido, ut
eminus timor denuntietur. Ubinam, quaeso,
missilia invenias quae semel emissa
10 quina vel adeo octona milia metrorum
milliens pervolent, ut re et veritate Europae
regionibus minitentur? Num apud populos,
quos calamitosos vocant? Minime vero!
Ne futurae quidem sunt tales res, nedum
15 ut coniectura conici possint. Ut iaculentur
Borei Coreates, quousque iaculabuntur?
Tanto ab illis America disiungitur intervallo,
ut ad eam illinc per Europam telum adigi non
possit. Ballistarum artifices profecto id
20 fieri fas esse negant! Omnino meminisse
debemus id, quod a nostris hominibus
saepissime usurpatum iam in proverbii
consuetudinem venit, voluisse stultum

ORATIO MONACHIENSIS 46–49

dextera manu laevam tangere aurem!

47. Atque hoc loco, cum in Germania nunc versemur, quidni memorem, quam Foedus de Viribus Armatis Receptis in Europa misere iaceat? 5

48. Cuius forma novo rerum statui accommodata anno MCMXCIX signata est, ratione habita mutationum quae in nationum finibus moderationeque, cum foedus Varsoviense intercidisset, intervenerant. 10
Septennio post, coetus civitatum quae foedus ratum habuerint quaternarium numerum non excedit, in quibus Russicam Foederationem complecti debes.

49. Non item civitates Atlanticae 15
Confoederationi quae sunt adscriptae egerunt, quarum legati sine ambagibus negarunt, apud suos quisque cives foedus illud, vel in his quae pertinebant ad milites in confinibus collocandos, ictum iri 20
antequam Russi a regionibus Georgiae et Moldaviae castra moverent. Etenim copiae nostrae celeri cursu e Georgiae finibus iam

ORATIO MONACHIENSIS 49–51

recedunt. Ceterum inter omnes constat,
dissidia, ob quae cum sociis nostris in
Georgia versantibus dissentiremus, iam
composita esse. Intra fines Moldaviae
5 etiamnunc homines mille et quingenti armis
instructi manent, qui perinde in servanda
pace moliuntur atque armamentaria militari
apparatu instructa protegunt et defendunt
ibi inde ab aevo sovietico relictas. Cum hero
10 Solana rationem huius rei expediendae
adsidue disputamus. Quid sentiamus, ille
probe novit. In hac re longius proficere non
detrectamus.

50. Quid autem per idem tempus fieri
15 conspicimus? Castra Americanorum, quae
flexibilia vocantur, in fronte prima collocari
viris, ad quina milia militum, instructa.
Detegimus igitur a Confoederatione
Atlantica frontis primae viros nostrum
20 ad limitem esse dispositos, a nobis autem
omnia foederis onera, nulla querela, nulla
expostulatione, nihilo minus servari.

51. Quae res – quis dubitet? – nihil

ORATIO MONACHIENSIS 51–52

sane deserviunt vel Foederi renovando
vel incolumitati Europae servandae. Quin
potius illud patet, eiusmodi factis nos
laccessi ob idque ex ipsa natura sequi, ut
mutua imminuatur fides. Numquid rogare 5
vetamur, adversus quos hae copiae latius
disseminentur? Quo abierunt pollicitationes,
quibus socii ad occasum habitantes
sese obstrinxerant post labem foederis
Varsoviensis? Quo pristini difflexerunt 10
sermones? Quorum quotus quisque iam
memorest? At non temperabo, quin auditores
commoneam, quibus de rebus tunc verba
facta sint. Herus Woerner, vir a secretis
generalis Confoederationis Atlanticae, 15
Bruxellis anno MCMXC, a.d. XVI Kal.
Iun. hoc sermone usus est: “Quod parati
sumus nullum Atlanticae Confoederationis
exercitum extra Germaniae territorium
locare, ex eo Sovieticae Unioni firmitas 20
venit solidissima”. Ubi sunt promissa illa?

52. Iam diu lapides et fragmenta ex
munitione berolinensi pro mnemosyno

ORATIO MONACHIENSIS 52–53

donantur, non illud tamen est oblivioni
dandum, munitionem illam berolinensem
propterea paene prostratam et eversam esse,
quod nonnulli populi, quorum in numero

- 5 Russica gens fuit, virili fortitudine, cuius
memoriam nulla dies obscurabit, elegerunt,
voluerunt, iusserunt populare et civile
civitatis genus, libertatem, sinceritatem,
fidem in societate in quam cum illustri
10 Europaeorum genere venerant, servandam
tuendam.

53. Nunc vero conantur socii novis
nos terminis circumscribere, novas nobis
munitiones circumdare, quae non quod
15 corpore vacant, propterea minus gentes
disiungunt et separant et in duas partes
Europam dividunt. Possumusne igitur
satis videri cauti providique, si huic itineri
tam infesto nos commiserimus, ut iterum
20 egeamus annis, decenniis, multis hominum
aetatibus qui in re publica versentur,
ad munitiones novas illas disiciendas
evertendas?

ORATIO MONACHIENSIS 54–55

54. Viri matronaeque amicissimi!
Aperte et sine ambagibus favemus
multiplicationi armorum in dies severius
prohibendae. Legibus et iure gentium,
ut nunc sunt, non vetamur moliri in 5
promovendis rationibus et artificiis, quibus
ignis materiam viribus nucleorum eruamus,
pacis gratia. Suntque non nulli populi qui
non iniuria aveant sibi vim nucleis obrutam
erueri, ut hac facultate freti, efficacitatem 10
(seu energiam) suis necessitatibus parem
conficientes, in sua simul potestate fiant,
ceteris iam desinat esse obnoxii. Attamen
non illud ignoramus, eiusmodi rationes
et artificia posse celeriter in arma telaque 15
mutari.

55. Hinc controversias enasci
nemo est, quin videat; quibus satis sunt
documento multae et magnae contentiones
quae propter proposita oriuntur, quae de vi 20
nucleis excitanda Iranici foveant. Quodsi
per gentes, quae ad mutuam communitatem
coniunctae atque consociatae sunt, eiusmodi

ORATIO MONACHIENSIS 55–56

confflictiones populorum suarum quisque
necessitatum causa dimicantium minus
expeditae fuerint, fieri non poterit, ut cessent
homines ad id genus discrimina aciemque
5 adduci et labefactari; non enim sola Iranica
regio sperat ex illo sese emersuram limine,
quo populi opibus principes a gentibus
minus pecuniosis separantur. Et nobis est
exploratum et vobis non censetur res esse
10 incognita. Multiplicatis armis internecivis,
nobis erit adsidue conflagendum adversus
minas, quae inde ortae nos appetiturae sunt.

56. Superiore anno Russi inceptum
promoverunt constituendi velut domicilia
15 omnibus gentibus obnoxia, in quibus
uranium ditaretur. Nihil autem obstat,
quin haec talia domicilia non modo intra
Russiae fines, verum etiam in ceteris
constituantur civitatibus, quae legitimo
20 utuntur iure utilitates capiendi ex vi nucleis
depromenda, urbanarum civiliumque
rerum dumtaxat causa. Quae civitates sibi
proponunt, ut vi nucleis depromta apud

ORATIO MONACHIENSIS 56–57

suos latius utantur, eae fidem possunt obstringere, ut, quippe quae participes talium domiciliorum protinus fiant, ex illis pariter domiciliis materiam comburendam hauriant et accipiant. Domicilia ipsa, ut 5 par est, ita maxime operabuntur, quod in arbitrio erunt Procurationis de Efficacitate Atomica inter gentes constitutae (quae nomine IAEA ut plurimum nuncupatur), cuius erit omnia revisere et percensere. 10

57. Incepta, quae Georgius W. Bush, Americanorum rei publicae moderator, peragenda sumpsit, a propositis, quibus Russi favent, minime abhorrent. Ceterum censeo ex ipsa rei natura non minus 15 Russiae quam Foederatarum Civitatum Americae interesse, ut regimen adversum multiplicanda ac disseminanda in excidium urbium barbarumque arma solidetur et corroboretur. Nostris maxime 20 civitatibus, quae nucleorum missiliumque copia pollent, onus incumbit renovatos modos augendi iubendi, quibus arma illa

ORATIO MONACHIENSIS 57–59

severius circumscribantur. Ad omnia nos quidem praesto sumus. Cum Americanis, nobis amicissimis, alacriter de his rebus consultamus.

5 58. Summa vero quaestionis totaque rei causa in eo constat, quod constituatur et confirmetur oportet quaedam quasi rationum commissura, quae, perinde rei publicae ac pecuniae causa, civitates ad
10 augendas suas virtutes et facultates in efficacitate nucleari paranda cohortentur, dehortentur tamen, ne processui operam navent, quo materies nuclearis comburenda gignatur educatur.

15 59. Ordo rerum deposcit, ut nunc operam per omnes gentes propter efficacitatem sociandam diligentius persequar. Cuius rei memoriam, in oratione quam habuit, hera Cancellaria Foederalis
20 iniecit. In iis, quae ad efficacitatem pertinent, Russis id est propositum, ut principia mercaturae aequabili ratione condantur, praecepta ab omni fraude

ORATIO MONACHIENSIS 59–61

pura omnibus proponantur. Pretium
efficacitatis mercaturae commodis
definiatur, ne quaestui civitatum,
auctoritati pecuniae, haud mollibus iussis
concussorum obnoxium fiat. 5

60. Sociandae operae instructi
intentique sumus. Maximum quodque
nostrum in ceptum ad efficacitatem respiciens
societates exterae nobiscum participant.
Non nulli talium rerum arbitri censent 10
intra Russiae fines ultra quartam partem
(26%), – intendite, quaeso, et advertite –
ultra, inquam, quartam partem olei, quod
extrahitur, solo depromi sumptibus alienis.
Quod mihi dabitur exemplum regionis, in 15
qua ad eandem mensuram in partibus ad
occasum vergentibus pecunia Russorum
similiter impendatur? Audio! Nullum
profecto! Res par habet nihil!

61. Sinite, quaeso, per me in mentem 20
revocari respectum et relationem pecuniae,
quae in Russia ab exteris quaeque in exteris
a Russiae gentibus collocetur. Computus

ORATIO MONACHIENSIS 61–64

aestimatur ad rationem fere quindecim
pro uno. Qua in re non obscurum cernis
exemplum rei publicae administrandae
id sub aspectum subiciens, in Russia rei
5 nummariae et fores expansas et aedificium
firmissimum esse totum.

62. In iis, quae ad incolumitatem
rei nummariae adtinent, omnes iisdem
adhaerere normis debemus. Non desumus
10 ad legitimam certationem.

63. Quam ad rem plures Russis in
dies opportunitates apparent. Tales rerum
mutationes aequo animo viri periti et
socii nostri extranei perpendunt. Itaque
15 penes Ordinationem Oeconomiae per
Cooperationem Promovendae (quae OECD
nuncupari solet), cum fides tota Russia
opibus firmior facta sit, patria nostra a
quarto in tertium coetum promota est.
20 Cui voluntati opem tulerunt socii nostri
Germani, quibus libentissime hodie, cum
verser Monachii, gratias ago ingentissimas.

64. Adde quod Russia, ut inter omnes

ORATIO MONACHIENSIS 64–65

constat, maximam itineris partem remensa,
haud longe prospicit diem, cum Consortio
Mundanis Commerciis (cui WTO nomen
est) promovendis feliciter inseratur. Illud
tamen ecferre volo: cum concertationibus 5
diuturnis et arduis conloquiis participes
interessemus, audivisse nos plus semel
sermones fieri de necessaria libertate
quae sentiamus dicendi, de mercibus
libere commutandis, de opportunitatibus 10
aequabiliter impertiendis; haec semper
nihilo minus ita dici audivimus, ut
Russi tantum mercatores harum rerum
admonerentur.

65. Tandem unum superest idque 15
maximi momenti, quod de totius orbis
terrarum incolumitate dici possit. Haud
pauci veniunt his temporibus oratores de
egestate propulsanda. Quid autem in hac
parte revera fit? Simul pecuniae plurimum 20
interdum erogatur una mercede opem
ferendi regionibus totius orbis pauperrimis.
Quamquam, ut fortasse plures norunt,

ORATIO MONACHIENSIS 65–66

societates exterae quae opes conferunt
viscatis hamatisque muneribus non sua
promere, sed aliena saepe corripere
videntur. Simul vero civitates opulentiores
5 praeservant subsidia sua rusticis propriis
danda et non nullas civitates prohibent
accedere ad artificia exquisitissimae
machinationis.

66. At res suo nomine vocemus!
10 Altera manus stipem porrigit, altera
progressum rerum pecuniaeque
accessionem praepedit, ut hac ipsa re
gravis aere domum redeat. Qua de causa
in regionibus, quae summa premuntur
15 inopia, in hominum societate conflictiones
magis magisque necessario crescunt,
indeque progrediuntur extremarum rerum
sectatores, qui velut radices ipsas rerum
secare velint, ut per terrorem dominantur,
20 factionum animis ad confligendum
exasperatis. Quodsi talia eveniant in plagis,
ut exemplum afferamus, Orientis Medii,
ubi in dies magis arbitrantur homines

ORATIO MONACHIENSIS 66–68

mundum exteriorem esse maximam partem iniquum, dehinc periculum sit, ne magno prope motu orbis totus concutiatur.

67. Eiusmodi minationes non est obscurum, quin civitatibus, quae 5 principatu in rebus mundanis potiantur, non sint praetereundae. Citius dixerim, illis necessitatem obvenire, ut quoddam quasi rete negotiationum mundanarum texentes maiore iuris legumque aequabilitate 10 insignitum, cunctis occasionem praestent suae fortunae augendae.

68. Viri matronaeque iucundissimi, cum in contionem escenderim in Conventu de Incolumitate tuenda, necesse 15 habeo in mentem ea revocare, quae per Ordinationem Securitati et Cooperationi in Europa (OSCE) provehendis facta sunt. Ut est in vulgus notum, talis haec ordinationis inde a primordiis fuit, ut de omnibus – huic 20 vocolae insto, de omnibus – consultaret, quaecumque ad incolumitatem pertinerent: cum in rebus bellicis, politicis, nummariis,

ORATIO MONACHIENSIS 68–70

in officiis denique communis humanitatis,
tum maxime in necessitudinibus inter illas
partes intercedentibus.

69. At quales sunt hodie res,
5 quae nostrum cadunt in conspectum?
Temperamentum illud iam aequitate caret.
Sunt qui conentur Ordinationem illam in
vulgare praesidium traducere, cuius ope
utilitatem necessitatemque nescio quarum
10 civitatum extra fines ipsarum promoveant
foveantque. Cui rei scribae qui scriniis illius
Ordinationis praesunt ita selecti sunt, ut
opem ferant, cum conditricibus civitatibus
necessitudine nulla devinciantur. Rationes
15 deliberandi et participatio illarum, quas
consociationes privatas voluntarias (PVO
seu ONG) appellant, quasi vestis bene
confecta, huic muneri conveniunt. Quae
consociationes, cum specie obnoxiae sint
20 nulli, re quidem vera pabulatoribus suis
parent et respondent.

70. In officiis vero communis
humanitatis, tabulis constitutivis

ORATIO MONACHIENSIS 70–72

congruenter, Ordinationi quam speculandam
insumpsimus, officium est, ut sociis
civitatis opituletur, ipsarum postulatu,
in iuribus humanis omniumque gentium
normis ad humanitatem adtinentibus 5
servandis firmandis. Officium est summum,
cui strenue favemus. Quod tamen non
propterea nescio quibus gentibus iustum
ius confert, ut alienarum civitatum rebus
negotiisque sese interponant, praesertim 10
vero ut vitam et auctum eorum ad certam
sui arbitrii normam derigant.

71. Non est obscurum, quin hac sese
interponendi ratione nullo pacto faveant
incremento iis in locis popularis et civilis 15
civitatis generis. Iam vero etiam civitates
illas sibi obnoxias obstringunt cum magno
prope motu rei publicae gerendae et
administrandae pecuniae concussionem.

72. Spes atque fiducia nobis est, 20
Ordinationem illam officiis suis primigeniis
parituram esse, ut ad amicitiam sui iuris
civitates adiungat per mutuum obsequium

ORATIO MONACHIENSIS 72–75

et fiduciam, omni fraude remota.

73. Viri matronaeque! Dicendi finem
facturo illud mihi liceat in luce collocare:
saepe fit ut nobis (equidem id saepius
5 expertus sum) collocutores nostri, quorum
in numero etiam socii nostri Europaei
versantur, suadeant, ut Russi magis
magisque totius orbis negotiis intersint.

74. In hac tamen parte id ultro dico: non
10 esse cur nos hortentur ad agendum. Annum
aetatis suae millesimum iam diu Russia
est praetergressa neque umquam in exteris
negotiis nisi sibi cuiquam fuit obnoxia.

75. Non id autem nobis proponimus,
15 ut mores istos nunc ipsum abiciamus!
Attamen mundum adaeque mutatum esse
probe novimus omnes atque rebus ipsis freti
haud obscure quid valeamus cognoscimus
neque nos nostra robora fallunt. Itemque
20 volumus (non est opus dicto) operam
consociare cum sociis officii sui gnaris
sibique obnoxiiis, quibuscum adlaboremus
disciplinae mundanae per iustitiam et

ORATIO MONACHIENSIS 75–79

aequabilitatem conformandae, ut ex illa incolumitatis commoda et prosperitatis emolumenta non delecti quidam, bene pauci ac felicissimi, verum omnes capiant universi.

5

76. Quod diligentiam vestram nobis adiungere voluistis, hanc vobis gratiam habeo. DIXI.

77. Horstius Teltschik: Gratias tibi agimus ob orationem amplam tuam. Auribus nostris nova quaedam argumenta praebita sunt, quorum in numero consultum fuit de incolumitate mundana extruenda – qua de re rarius his postremis annis disputatum est –, de armis repudiandis et numero circumscribendis, de necessitudine inter Atlanticam Confoederationem Russiamque intercedente, de omnium opera in artificiiis machinosis perficiendis consocianda.

10

15

78. Multa plures quidem rogare volunt, Praeses autem respondere paratus est.

20

79. Interrogatum: Here Praeses

ORATIO MONACHIENSIS 79–80

eximie, ob sermonem tuum gratias ago.
Id urgendum puto, persuasum esse Consilio
Foederali Germanico, Russiam magni
momenti Europae sociam eiusque munus
5 pergrave esse. Quod quidem Cancellaria
Foederalis suo sermone non celavit.

80. Usu rerum cum sim edoctus, tuo
in sermone consulta duo efferre cupio.
Prius adtinet ad illud, quod opinaris
10 de Confoederatione Atlantica eiusque
dilatatione, qua ex re periculum Russiae
obventurum vides. Esne facilis ad
consentiendum, hac in re non dilatationem
esse sitam, verum consilium civitatum
15 populari imperio utentium, quae
libere nullaue adactione coactae sese
determinare constituerunt? Itemque a
Confoederatione Atlantica civitates,
quae id minus prompte praestent,
20 difficulter acceptum iri? Quidni fatearis,
Confoederationis Atlanticae beneficio
fines regionum quae ad orientem solem
vergant firmiores periculisque expeditiores

ORATIO MONACHIENSIS 80–82

factos esse? Quid popolare civileque civitatis genus times? Mihi est persuasum, Confoederationi Atlanticae civitatem, in qua non in populo sint omnia, adiungi posse nullam. Id tamen a rerum instabilitate tutam 5 viciniam efficit.

81. Quid est autem, quod tua in civitate fit? In nece Annae Politkovskaja signum stat disertum. Verum tamen (libere enim dicam) in eadem necessitudine 10 non nulli versantur diurnarii, omnes pertimescunt, leges de consociationibus privatis voluntariis adaeque periculum conclamant.

82. Interrogatum: Quae de armis non 15 multiplicandis contendis probe intellego. Post exitum maxime Frigidi Belli armorum nucleis explodentium disseminationem contrahi conspeximus. Uno tamen eodemque tempore seditiosos per terrorem 20 imperium capessentium numero augeri vidimus; id genus armis telisque seditiosos illos interdicamus oportet.

ORATIO MONACHIENSIS 83–85

83. Interrogatum: Sine, quaeso, me paulo superius repetere rem, de qua Cancellaria Foederalis sententiam pariter rogata est. Quid in proxime futuris de
5 Kosovo et Serbia augurari licet? De hero Ahtisaari quid sentis? Quonam pacto Russia suam exercere auctoritatem parat huius controversiae expediendae causa?

84. Interrogatum: Visne quid censeas
10 nobiscum communicare de Russicis copiis, quae in partibus Tzetzeniae versatae sunt, quid periclitatione longi temporis expertae sint? De efficacitate nonnihil advertisti: in mentem enim revocasti, quam partem agat
15 efficacia in mercaturis quidque ad rei publicae gerendae officia valeat. Unionis Europaeae interest, ut perveniatur ad foedus societatemque, quibus principia rei gerendae stata contineantur. Estisne parati
20 satis dare, efficacitatem fideliter tradi, foedere apposite icto?

85. Interrogatum: Here Praeses, ingenue libereque locutus es. Ob idque

ORATIO MONACHIENSIS 85–86

confido fore, ut a te rogatum meum libero ore, sine ambagibus positum, intellegatur. Decimo vicesimi saeculi decennio Russi periti sedulo opem tulerunt Iranicis, ut incrementa facerent artificii peritiae, quae 5 sunt necesse ad missilia conficienda. Nunc vero Iranicis praesto sunt et medii et longi iactus missilia provectoria, quibus et Russiam et Europae partem pulsare possint. Ii pariter adlaborant nuclearibus 10 cacuminibus in summis missilibus collocandis. Civitas tua ut molita est in pactionibus cum Iranicis de hoc consulto temptandis ita suffulsit scitum atque iussum a Consilio Unitarum Nationum 15 incolumitati tuendae latum, ut prohiberentur Iranici haec talia exsequi cogitata.

86. Id protinus rogo: qui sunt nesus, quibus Russiae – sive per Consociationem 20 Unitarum Nationum an aliter agat – conari lubet, ut eiusmodi graviter facta in Irania intercidantur et intercludantur?

ORATIO MONACHIENSIS 87–88

87. Interrogatum: Mihi fiducia est,
conventum nostrum a rerum scriptoribus,
qui post futuri sunt, non ita enarratum
iri, quasi Bellum Frigidum Alterum hic
5 indictum sit. Fieri tamen potest. Oportet
– tu enim dixisti – Iranicis perinde
instemus atque invitamentis conducibilibus
provideamus. Nonne vero Russia intercedit,
ne vehementer Irania poenis plectatur?
10 Huc accedit, quod Russia armorum
suppeditatione Iraniam cohortatur,
maxime cum arma illa in Libano et Gazae
conspecta sint. Quid tu respondes?

88. Interrogatum: Perspectam habeo
15 sinceritatem tui sermonis, ob idque
mihi est fiducia, fore, ut sinceritatem tu
probes meam. Primum de armis numero
circumscribendis. Cui est necesse,
iterum ad arma curri? Id ecferre volo, a
20 Civitatibus Foederatis Americae iam plus
duo decennia nova ad aciem instruendam
arma non esse expedita, vos interea nuper
probasse missile cui nomen “Topol-M”,

ORATIO MONACHIENSIS 88–90

quod iam coepit distribui in horreis
bellicis et in machinamentis
circumforaneis. Civitates Foederatas
Americae percensorie increpuisti, quod
inauditis ceteris partibus egerint, bis 5
autem confirmasti, Unitarum Nationum
Consociatione tantum iubente probante
manu militari legitime agi posse. Civitates
Foederatae Americae nunc ipsum castra
habent in Iraquia et in Afghanistania 10
Unitarum Nationum iussu, itemque in
Kosovo pars incolarum maior probat
actiones pacis recuperandae causa in ea
regione peragendas.

89. Hoc demum loco interrogo: 15
hoccine igitur dicis, Russiam, quantumlibet
graviter persentiat sibi minationes iactari,
non esse bella suscepturam Nationum
Unitarum iniussu?

90. Interrogatum: Periculum 20
exposuisti, ne orbis universus uni tantum
factioni, vel polo dicamus, obtemperet
pareatque, ex hac enim re necessario

ORATIO MONACHIENSIS 90–91

consequi, ut dominatus unius consilia
capiat ceteris omnibus inconsultis. Ut non
nullorum est opinio, conspiciamus in Russia
rem publicam ita regi, ut in dies magis
5 uni polo obnoxia fiat, cum domicilia – ut
ita dicamus – multae auctoritatis assentiri
cogantur factioni, quae eadem ubique
princeps exsistat, sive est Consilium
Supremum (cui nomen Duma) in re
10 publica, sive est princeps in certa
quadam regione, seu praeconia publicae
communicationis, coetusve negotiatorum
vel consociationes privatae voluntariae.
Id ipsum est, de quo ambigitur, possitne
15 civitas quae tali moderamine regatur
in societatem fidenter admitti, cum de
incolumitate efficacitatis agatur?

91. Vladimirus Putinus Praeses
respondet: Ante omnia ob interrogata
20 vestra gratias ago libenter, quae mihi
minime spernenda esse videntur. Paenitet
exiguitatis temporis: singillatim enim
volueram unicuique vestrum respondere. Id

ORATIO MONACHIENSIS 91–93

me vehementer delectat, mihi res probatur.

92. Interrogato postremo primum
responsurus sum, de consilio quo Russia
regitur, quod uni factioni obnoxium volunt.
Hodie Factio Communistica Russicae 5
Foederationis et Factio Russiae Unitae et
Factio Democratica Liberalis, quibus alii
coetus adiunguntur ad rem gerendam vim
habentes, in eodem Comitatu adaeque
sedent, quamquam propositis inter se 10
maxime dissentiunt. Si haec tibi minus sunt
perspecta, satis est, si parumper colloquaris
cum rectoribus Communisticae Factionis,
dein vero cum hero Zhirinovskij, qui
fautoribus liberae popularisque civitatis 15
moderatur. Quid inter se differant, statim
concupias. Etiam si nunc id a te perspicere
nequit, at cum illis colloquium habe. Licet
enim, tantum Moscoviam petas cum illis
collocuturus. 20

93. Quid autem in reliquum tempus
prospiciamus, rogastis. Desiderio tenemur,
ut eam rationem rei publicae gerendae

ORATIO MONACHIENSIS 93–94

consequamur maturam, in qua multiplices
factiones concertationem instituant,
homines autem, qui in re gerenda
versentur, officii sui gnari existant, facile
5 ut rei publicae augendae in antecessum,
coniecturis probabilibus factis, consulant
neu munus suum tantummodo comitiis
vel mox agendis vel modo actis praestent,
verum diu et constanter in actu sint. Hoc
10 est in votis. Quod quidem sine plurium
factionum participatione non fiet. Quicquid
in Russia agimus, vel etiam cum Consilii
Supremi, id est Maximi Comitatus
sodalibus rogandis comitia nova ratione
15 haberi placeat, id in eum finem facimus,
ut plurium factionum participationem in
Russia corroboremus.

94. Venio nunc ad aliud, quod rogati
sumus: idoneumne sit nostrum ministrorum
20 consilium, quod prudenter agendo expediat
negotia quae coniuncta sunt cum efficacitate
tradenda et incolumitate in iis, quae ad
efficacitatem spectant, praestanda. Idoneum

ORATIO MONACHIENSIS 94–95

potissimum est! His insuper, quicquid
egimus, quicquid etiamnunc agimus, id
eo tantum destinatur, ut necessitudines
et vincula, quibus tum emptoribus tum
civitatribus, quae nostram efficacitatem 5
vehunt, devincimur, inseramus principiis in
mercatura repositis, omni caligine soluta,
per diutinas stipulationes

95. Id vobis memoro atque sodali meo,
Ucrinae Praesidi, qui adversus me sedet et 10
haec talia probe novit. Per trium lustrorum
spatium, ante annum MMVI, quo post
longam eamque arduam consultationem
quaedam constituimus, in eo erat, ut in
Europam ex Russia efficacitas et praesertim 15
aerium adveheretur, quod prius Ucraina et
Russia de condicionibus pretiisque, quibus
aerium nostrum in Ucrainam ipsam e
Russia importaretur, consensissent. Quod
si inter nos constitutum non esset, omnes 20
Europae cives aerio caruissent. Placeatne
id vobis, considerate! Non opinor
tamen. Praeter omne flagitium, quamvis

ORATIO MONACHIENSIS 95–96

commoda utilitatesque protegerentur, quamquam disparibus sentiis alter ab altero dissideremus, tamen cum Praeside Iuschczenko pactionem facere valuimus.

- 5 Consilium enim – ita mea fert opinio – cepit ille prudentiae plenum, cum maxime emendatum, mercaturis accline. Pactiones fecimus duas inter se distinctas, ut aerium a nobis et Ucrainae et Europae traderetur in
10 proximum quinquennium. His bene gestis, Russia et Ucraina gratulationem vestram iure meruerunt. Itemque gratias ago ob rogatum istud.

96. Melius tamen fuerat per me statim
15 omnibus rogatis vestris responsum tribui. Quid censeamus de Confoederatione Atlantica in regionibus ad orientem vergentibus expansa. Quae fuerant pignora tributa, ea videmus hodie neglecta iacere.
20 Forsitan censeatis, id esse moris in mutuis liberarum civitatum negotiis! Recte, omittite hanc rem. Omittamus sane pignora illa, inspiciamus potius, quae necessitudo

inter popolare civileque civitatis genus et
 Confoederationis Atlanticae expansionem
 intercedat. Non est Confoederatio
 Atlantica id genus consociatio, ad quam
 omnes pertineant gentes universae, ut 5
 Unitae Nationes sunt. Quid ergo? Foedus
 est ante omnia ac potissimum militiae
 administrandae et rei publicae gerendae
 causa ictum factum. Non illud quidem
 infinitas ibimus, incolumitatem suam cuique 10
 civitati defendendam optimo iure esse.
 Quid autem est, cur nostrum ad limitem
 substructiones castrenses collocari debeant,
 quo tempore expansio illa fiat? Ecquis
 responsum dare potest? Dixerit quispiam: 15
 Nisi forte propagatio substructionum
 castrensium cohaereat consilio configendi
 adversus minationes, quae hodie toti mundo
 impendeant. Hoc modo sit licet! Quae nunc
 impendet minatio, qua maior nulla sit? 20
 Russiae et Foederatis Civitatibus Americae
 et Europae minatio maxima in terroris
 dominatione stat, cui conectitur luctatio ad

ORATIO MONACHIENSIS 96–99

talem dominationem evertendam.

97. Estne nescio cui necesse, ut Russia
adversus terroris dominationem confligat?
Est sane! Estne nescio cui necesse, ut India
5 adversus terroris dominationem confligat?
Admodum! Neutra civitas tamen Atlanticae
Confoederationis sodalis est. Nihilo
minus effectum in hoc opere consequi nisi
viribus coniunctis non possumus. Ita fit,
10 ut propagatio substructionum, praesertim
generis militaris, nostrum ad limitem nullo
prorsus pacto cohaereat deliberationibus
liberis, quas singuli civitatum status
sumunt. Ne notiones duplices, quaeso, inter
15 se misceantur.

98. Ut verum fatear, hoc paginae loco
tam prave ipse scripsi, ut mea ipsius scripta
legere non valeam. Responsurus igitur
sum ea, quae legere possim; quodsi nescio
20 quibus rebus nullum responsum dederim,
memorate mihi, quaeso, interrogatum
pristinum.

99. Quid in Kosovo et in Serbia

ORATIO MONACHIENSIS 99–100

futurum sit. Soli earum regionum cives
id prospicere possunt. Nolumus illis
praescribere, qua ratione suam vivant vitam.
Non oportet Deum agamus, conati illarum
gentium nodos expedire. Nos una coniuncti 5
possumus tantum efficere condiciones
necessarias, quibus gentes adiuventur in
suis nodis solvendis. Efficiamus certas
quasdam condiciones et sponsores fiamus
observantiae pactorum, quae icta sint. 10
Nostrum tamen non est pacta fieri iubere,
ni forte velimus res ingerere angusto,
unde nullus pateat exitus. Quodsi unus,
qui participet arduos istos nisus, se sentiat
offensione gravatum vel humiliatione 15
depressum, nodis mansuri sint per saecula.
A nobis, si aliter fecerimus, creabitur
tantum angustum sine exitu.

100. Quid igitur suademus? Ut
adamussim huic principio adhaereamus. Si 20
tamen perceperimus, uni nescio cui parti
satis factum non esse consiliis, quae casus
solvendi gratia proponantur, isti consilio

ORATIO MONACHIENSIS 100-101

non erimus adstipulaturi.

101. Non undique intellexi, quo pertineat interrogatum de rerum usu, quem milites nostri in Tzetzenia habuerunt.

- 5 Multarum rerum nec iucundarum usum habuerunt. Si tamen res in universum in Tzetzenia cognoscere mavis, scito in ea regione in re publica versari perinde Comitiatum atque Praesidem iustis comitiis
- 10 rogatos, civitatis vero moderamen suo munere fungi; omnia corpora auctoritatis aequae atque administrationis formata esse; omnes fere vires quae rem gerendam capessere, nunc operam dare Rei publicae
- 15 Tzetzeniae. Ut exemplum afferam, olim Minister Defensionis, qui munere functus est in civitatis gubernatione cui Aslan Maschadov praefuit, nunc sodalis est Comitatus Tzetzeniae. Nos vero omnem
- 20 lapidem movimus, ut qui prius rebellassent, nunc non modo honestam vitam agerent, verum etiam in actu essent in Re publica gerenda. Quae cum ita sint, malumus

ORATIO MONACHIENSIS 101–102

hodie subsidiis uti, quae ad rem publicam administrandam eiusque quaestus tuendos adtinent, officio tegendae incolumitatis fere integro genti Tzetzenae commisso. Nam collegia iuri et securitati tuendis quae in 5 Tzetzenia orta sunt, fere ex toto civibus vel ab illa regione oriundis constant, qui illic stabili domicilio degant, qui nempe sunt Tzetzeni.

102. Quid sit, quod de Libano rogati 10
simus, non mihi videor plene intellexisse. Quod autem in Libanum aedificatores castrenses, qui reparent pontes aedificiaque bello Israelico diruta, miserimus, id confirmat rerum statum probe notum, 15
quem nuper enarravi. Copiae vero, quae aedificatores comitantur tuentur, militibus constant a Tzetzenia evocatis et ab illa gente oriundis. Rescivimus enim non esse absurdum, si in regionem, quam homines 20
fidei Mahometanae addicti obtinerent, copiae militum mitterentur, qui eidem religioni accenserentur. Neque erravimus,

ORATIO MONACHIENSIS 102–104

nam ab incolarum turba aedificatores nostri
castrenses toto pectore admissi sunt.

103. Veniamus nunc ad foedus cum
Unione Europaea de efficacitate faciendum,
5 siquidem hunc in modum interrogatum
mihi videor intellexisse. Quod saepius
confirmavimus, non gravamur principia
nostrae cum Confoederatione Europaea
societatis efficacitatis tradendae causa
10 tractare. Principia praeterea, quae in Charta
continentur, perspicua plerumque esse
videntur. At Charta ipsa nobis improbanda
videtur esse. Neque enim Russia neque socii
nostri Europaei principiis illis stant. Satis
15 habemus id memorare, nobis mercaturam
materiae nuclearis praeclusam manere.
Nemo fuit, qui nobis in mercaturam illam
viam muniret.

104. Non nulla alia tacere nunc malo,
20 quam referre. Principia vero ipsa iam
servamus in opera, quam et cum aliis et
cum Germanicis societatibus sociamus.
Nec praetermittere iuvat, inter societatem

ORATIO MONACHIENSIS 104

cui nomen Gazprom et societatem, quam
compendiariis litteris BASF nuncupant,
feliciter transactum esse. Fuit profecto
quaedam bonorum et emolumentorum
permutatio. Nos autem prompti sumus tali 5
modo in opere pergere. Per nos non est mora.
In condicionibus tamen certis definitisque
intelligamus oportet, quid tribuamus, quid
nobis a sociis tribuatur, rationes exigamus,
perito nescio cui nulli obnoxio et adventicio 10
rem aestimandam committamus, prius
quam de tota re decidamus. Id operis
instituere non dubitamus. Non nihil simile
nuper pacti sumus cum sodalitate Italica,
cui nomen ENI, quae nobis societate 15
iuncta est. Neque foedus modo fecimus de
efficacitate usque ad annum MMXXXV
tradenda, siquidem – ni fallor – de
permutandis bonis emolumentisque nihilo
secius concertavimus. Similiter operam 20
cum Ucrainis, quibuscum nobis sunt
omnes amicitiae necessitudines, consociare
studemus. Res prorsus progreditur.

ORATIO MONACHIENSIS 105

105. Oporteatne autem eiusmodi principia a Russia constitui et confirmari compecto cum Unione Europaea, aliquando, quocumque se tempore dabit occasio,
5 iure rogatur. Fieri enim potest, ut non eadem simus sententia de hac re. Attamen, mea quidem sententia, supervacuum est talia fieri. Non solum enim efficacitatis causa cum Unione Europaea operam
10 nostram consociamus, verum etiam mutuo manum praestamus in agris colendis, in artificiiis exquisitissima machinatione perficiendis, in vectura praestanda. Singula quaeque suo pondere praestant nulloque
15 pacto negligenda videri possunt. Non omnia simul tandem uno comprehendere possunt praescripto, cuius velut saeptis circumcludantur. Nisi forte spe votoque teneamini, ut praescripto illi, quicquid
20 vobis conducit, inseratis, quicquid nobis conducit, extra claudatis. De rebus dubiis bona fide una consulemus, ut quae definita fuerint, utrique satis faciant parti.

ORATIO MONACHIENSIS 106–107

106. “Decimo vicesimi saeculi
decennio Russi opem tulerunt Iranicis,
ut incrementum facerent artificii peritiae,
quae sunt necesse ad missilia conficienda.”
Id ni fallor ex me quaesivisti. “Nunc vero 5
Iranici adlaborant nuclearibus cacuminibus
in summis missilibus collocandis, quibus
Europa pulsari posset. Quid Russia agere
in animo habeat super his rebus?” Idne me
consulis? 10

107. Ante omnia mihi non satis
constat, quo referas tempore a Russis
Iranicis opem latam esse, ut ipsorum
proveheretur artificium peritiaque ad
missilia conficienda necessaria. In hac 15
verum re aliae potissimum civitates in
actu fuerunt. Artificialis scientia quam
technologiam vocant obliquis tramitibus
ad illos derivata est. Certis documentis
id confirmare possumus. Illo temporis 20
spatio Foederatarum Civitatum Praesidi
documenta protinus exhibui. Artificialem
quoque scientiam ex Europae et ex Asiae

ORATIO MONACHIENSIS 107–108

civitatibus nescio quibus advexerunt, vix ut possit Russia in culpa esse.

108. Fidem facio, Russiam minimum in hac re inesse. Minime omnium, si vero
5 fuit in re. Tunc temporis Petropoli operam dabam neque in causa fuimus. De hac re vobis fidem facere possum. Tamen probe nostis inter negotii gerentes non nihil fieri potuisse. Exercuimos non nullos
10 Iranicos in collegiis praecipuis, ut harum rerum periti fierent, et ita porro. Id autem rogati a sociis nostris Americanis, certa quaedam habentibus, severe haec omnia statimque repressimus. Idem factum per
15 alios socios, Europaeis sociis non exclusis, non perspeximus. Non minimum, non alienum videtur vos certiores fieri, ni forte id iam cognitum perspectumque habeatis, machinationes bellicas ac praesertim
20 apparatus et inventa e Civitatibus Foederatis advehi solere, usque ad hunc diem. Ad hoc usque tempus subsidiariae partes aerinavium F-14, quae vocantur,

ORATIO MONACHIENSIS 108–110

e copiis exercituque Americanorum et
Pentagono proveniunt. Quantum quidem
scio, cognitionem in Foederatis Civitatibus
de his rebus instituerunt. Neglecta tamen
cognitione, quae per magistratus exigitur, 5
partes illae, semel in finibus interceptae,
cum retro missae essent, paulo post iisdem
in finibus rursus interceptae sunt, quamvis
“corpus delicti” notatae essent. Quae si
nobis falso relata sunt, vos percenseatis, 10
quaeso!

109. At fluentis illis aegre frena
inicias! Quam ob rem, vires coniungamus
nostras!

110. Sintne Iranicis missilia, quibus 15
Europae minentur, necne, quaerentes erratis.
Ut nunc sunt res, Iranicis missilia sunt
praesto, quae spatium binorum fere milium
metrorum milliens pertingant, quamquam
hodie praesentes adsunt et Herus Gates, 20
me his rebus longe doctior, et Minister
Defensionis noster, qui emendatiore notitia
vos docere possint.

ORATIO MONACHIENSIS 111–113

111. Sergius Ivanov, Defensionis Minister Russorum: 1600 – 1700 metra miliens transvolant.

112. Vladimirus Putinus: 1600 – 1700
5 metra milliens, non ultra. Considerate
nunc quot milibus metrorum milliens
a Monachio fines Iranici longe distent.
Non sunt Iranicis missilia, quae iter tam
longum pervolent. In animo habent missilia
10 expedire, quae ictum 2400 metrorum
milliens aequent. In obscuro tamen manet,
peritiam habeantne huic operi necessariam.
Ut vero iactum quattuor vel quinque sexve
milionum metrorum milliens attingant,
15 quaestu pecuniae omnino diverso egerent.
Ita fit, ut res ex toto indigna fide merito
videatur. Iranici Europae nullas exhibent
minas. Quod refert, ab illis apparari usum
cacuminum nuclearium, id cum maxime
20 nullo certo indicio novimus.

113. In Borea Corea quidem
apparatum nuclei viribus explodentem
experimentis probatum esse constat.

ORATIO MONACHIENSIS 113–115

Iranici vero perpetuo confirmant, se
viribus nuclearibus studere pacis causa
tantum. Non equidem nego vobisque
consentio, ad omnium gentium consortium
pertinere, quid cuiusque rei causa Iranici 5
his viribus studeant. Nuper herus El-
Baradai sex septemve capitibus res suo
ipsarum molimine graves perstrinxit. Vobis
equidem de his rebus consentio. Non autem
intellego, cur nondum Iranici responsum 10
dederint, ut secunda oratione sollicitudines
verbis heri El-Baradai contentas lenirent.
Mihi aequae atque vobis id obscurum manet.

114. Quid agamus? Mea quidem
sententia, oportet animi trepidatione soluti 15
accurate simul agamus. Illud apprime
probo, esse quaedam incitamenta, vel
dicamus incentiva, excogitanda, quibus
principibus nationis illius persuadeamus,
operam cum omnium gentium consortio 20
consociare, quam certamen cum ipsis inire,
longe praestare.

115. Non nihil adiciam iis, quae

ORATIO MONACHIENSIS 115

de armis in Iraniam advectis superius confirmavi, dicam nunc, plus colloqui quam commercii factum esse. In rebus militaribus et in iis, quae ad artificium et
5 scientiam pertinent, quam minimum Iranicis adstitimus. Omnino quam minimum, quamquam mensuram certam aestimare nequeo. Nemini tamen dubium esse potest, quin in Orientem Medium per nos multo
10 minus armorum, quam per alias civitates, in quibus Civitates aequae Foederatas numero, importentur, ut nulla comparatio fieri possit. Non equidem negabo, a nobis Iranicis nuper traditos esse apparatus telis velivolis
15 proturbandis idoneos, quorum iactus spatia 30 vel 50 milium metrorum conficiant. Causam tamen, quam ob rem id fecerimus, videte. Vitare voluimus, ne Iranici se ad incitas redactos persentirent, ne hostibus
20 quodammodo circumdari sese crederent. Effecimus vero, ut Iranici intellegerent, sibi patere vias, quibus ceteras gentes sui consilii participes facerent sibi que amicos

ORATIO MONACHIENSIS 115–117

esse, quibus fidem habere possent. Avide denique exspectamus, ut Iranicae partes nutus nostros et intelligant et percipiant.

116. In armis, quae in Libano et in Loro Gazaeo reperiantur, nunc mentem 5 defigamus. De armis in Loro Gazaeo nihil accepimus, exempla nulla didicimus. Verum enimvero ballistas igneas, quas Kalaschnikov ille primus effecit, ita per orbem terrarum latas esse, ut multitudine 10 superent cetera arma parva, res est apud omnes pervulgata. Fere ubique illas invenias. Id genus arma se moventia apud Germanos etiamnunc reperiās, quotquot certe nondum diruta sunt. 15

117. At quae de Libano narrantur, ad liquidum explorata sunt. Ibi enim conspectae sunt capsae, quibus non nulla machinamenta curribus proturbandis nostra icludi solent. Non negabimus. 20 A quibusdam sociis nostris Israelitis id quondam certior factus sum. Habita de his rebus quaestione,

ORATIO MONACHIENSIS 117–119

percontationibus nostris comperimus,
Syrorum exercitu semel inde deducto,
arma illa intra Libani fines esse relictā.
Illud vero statuimus, in rebus bellicis
5 et mechanicis operam nostram Syris in
posteritatem ea lege conferri nobis placere,
ne arma in manus cadant alias, quam eorum
quibus illa sint destinata. Hanc igitur
rationem explicuimus. Additum praeterea
10 pacto, ut semper liceat peritis Russis,
si quae necessitas huius rei obvenierit,
armamentaria inspicere, postquam arma
nostra ad Syros importata sint.

118. “Civitates Foederatae Americae
15 nova ad aciem instruendam arma non
expediunt; non item Russi. Habentne
Russi in animo vim quandoque adhibere
Unitarum Nationum iniussu? Russia enim
ad aciem instruendam arma apparat et
20 expedit.”

119. Scite interrogatum et venuste!
Gratias habeo interroganti. Ansam
enim praebet mihi, ut quae fiant,

evolvam. Superioribus decenniis duae
 fuerunt supremae potestates, quae cum
 ob disciplinae disparilitatem bellum
 utrimque summa ope pararent, vertique
 in eo res videretur, utri utra prius arma 5
 inferret, tamen bellum inire numquam
 ausae sunt. Quid fuit causae, cur bellum
 non inirent? Medium inter se libramentum
 consuerant tenere. Mutua formidine suae
 quaeque et alterius potestatis stabilem 10
 invenerat sedem. Neutra gressum, altera
 inconsulta, movebat. Fragilis pax et
 formidulosa, at, ut nunc perspicimus, cui
 fides esset. Non autem hodie pax videtur
 esse aedaeque firma et fidelis. 15

120. Haud dubie Civitates Foederatae
 specie quidem nulla fingunt tela. Certe
 nihil in publicum promitur, quamquam
 arma ibi extricari non est ambigendum,
 certo scimus. Nihilominus nihil 20
 percontamur, speciem geremus
 nescientium, ut negemus ab illis nova
 arma extricari. Quid vero scimus?

ORATIO MONACHIENSIS 120–121

Foederatas Civitates in actu esse et
obniti, ut clipeum in missilia proturbanda
porrectum expediant et corroborent.
Hodie collocationem novimus adhuc
5 efficacia carere, ignoramus porro, num
quandoque ad effectum ventura sit, ad hunc
potissimum usum tamen confecta est.
Quam ob rem mente saltem fingimus,
quandoque id factum sit, fore ut
10 propter inutilitatem omnino retundantur
minationes, quae nostris armis nuclearibus
exerceri possint, nihilque profuturas eas esse
credimus. De armis nuclearibus Russiae,
quae nunc sunt, agitur. Temperamento
15 potentiarum quandocumque ablato, altera
tantum pars securitate potitura est mera et
omnibus suis partibus expleta. Quae tamen
vis insit in hoc rerum statu, attendite:
potestas illa poterit libere sese interponere
20 non modo singulis in locis, verum etiam
in conflictionibus, quae forte oriantur, per
totum orbem terrarum.

121. De hac maxime re vobiscum

ORATIO MONACHIENSIS 121

nunc consultamus. Suspicionem vero
aliquorum propositorum infestorum in
neminem commovere volo, id tamen
dico, rationes quibus inter liberas civitates
commercia gerantur simillimas se 5
mathematicis praestare, quovis domestico
et praecipuo commodo remoto. Nemini
dubium esse potest, quin adversus illum
rerum statum obnitendum sit nobis.
Quanam tamen ratione? Utrum vos imitati 10
nos quoque clipeum in missilia porrigamus,
sumptu omni opinione maiore? An, ratione
habita virium, quibus nunc in digestu
opum et in aerario pollemus, responsum
elaboremus, ut ita dicamus, asymmetrum? 15
Ut omnes intellegant clipeum adversus
missilia collocatum utilitate carere, quippe
qui certis quibusdam telis, quae sunt Russis
praesto, sine incommodo superari possit.
Ad quae potissimum iter nostrum dirigimus, 20
nam nobis minoris id constat, quamquam
non haec sunt instituta et rationes nostra,
ut Foederatas Civitates ipsas protinus

ORATIO MONACHIENSIS 121–122

impetamus.

122. Si confirmetis illa Strategica
Defensionis Incepta (SDI) non adversus
nos esse collocata perinde, atque non
5 adversus vos nostra sunt arma disposita,
bene inter nos conveniet. Hac praeterea re
sodali pariter et amico concino. Non enim
ignoratis, ut in non nullis rebus dissideamus
(nolite ad verbum expavescere), mihi
10 tamen – ita mea fert opinio – Foederatarum
Civitatum Praesidem amicitiae vinculo non
vulgari esse coniunctum. Vir est nimium
quantum probus, quamquam – explore
novi – hodie illi Foederatis in Civitatibus
15 omnia crimini verti possunt, quaecumque
domi forisque fiant. Attamen expertum
habeo, illum virum esse probum ac talem,
quocum sermonem adsensu mutuo seras.
Inter colloquium olim ipse: “Ab illo –
20 inquit – ordior, quod iam futurum non est,
ut Russia et Civitates Foederatae iterum
inter se oppositae hostilia resumant.”
Cui profecto concino, id vero repetens,

ORATIO MONACHIENSIS 122–125

symmetriam illam et assymetriam minime in personis positas esse. Id enim rationes utilitatis nostrae postulant.

123. Sitne proclivis Russia in usum militum Nationum Unitarum iniussu? 5
In animo habemus semper agere intra saepta iuris gentium. Ne a iure, quo semel imbutus sum, temere prorsus recedam, mihi sodalibusque pariter meis memoriam refricabo eius, quod, prout Unitarum 10
Nationum Charta postulat, servandae pacis causa res geri tantum possunt, simul Nationum Unitarum atque Consilii de incolumitate Unitarum Nationum iussu. Quoties autem non de servanda pace, verum 15
de semet ipsis defendendis agitur, nihil prorsus requiritur facultatis concedendae, ut arma capiantur. Id enim certo quodam articulo eiusdem Chartae sancitur.

124. Quid ergo oblitus sum? 20

125. Interroganum: Rogavi de polorum multiplicitate in Russia atque de habitu mundani consortii adversus

ORATIO MONACHIENSIS 125–126

Russiam, si forte ibi principia stata minus
servet, praesertim quod pertinet ad necem
diurnariorum, ad timores et anxietates,
ad defectum libertatis, ad consociationes

5 denique privatas voluntarias.

126. Vladimirus Putinus: Te tribus
verbis volo. Iam partim responsum dedi
cum dicerem de compage Russici
Comitiatus. Vide, quid ibi velut pictum pateat,
10 considera disparilitatem sententiarum,
quas de gerenda re publica Comitiatus
principes vario adsensu defendunt,
aspice partes legitime agentes. Quod
de consociationibus privatis voluntariis
15 quaeris paucis absolvam: in Russia enixe
sunt in actu. Rationem sane iniimus novam,
ut eiusmodi consociationes recenserentur.
Quae tamen ratio nihil desciscit a ratione
apud alias gentes foris inita. Nec, quantum
20 quidem scio, de his factis consociationes
ipsae publice conquestae sunt. Duae tresve
consociationes improbatae sunt propter
sollemnia legum neglegenter servata,

ORATIO MONACHIENSIS 126–127

aeque nunc operam navant in statutis
suis ex forma legis emendandis. Nullam
improbavimus consociationem, quae se in
acta referri postulasset, ob dissensiones,
quae in rebus ipsis et in medulla eius velut 5
in cardine verterentur. Cunctae paratae sunt
operam suam in actu pergere, nosque hanc
sequi viam non desituri sumus.

127. Quid igitur nos interturbat? Plane
dicam, in aperto enim omnibus confessa 10
est veritas: fit interdum, ut eiusmodi
consociationes privatae voluntariae
erogationibus pecuniae per exterarum
civitatum rectores provehantur, quibus id
est propositum, ut illarum ope in Russicam 15
gentem sua invehant consilia publica
et importent. Hoc fuit prius dicendum.
Alterum nunc rei cornu aggrediamur. In
omnibus civitatibus certae sunt normae de
candidatorum petitione erogatione pecuniae 20
provehenda. Rectores exterarum civitatum
his in condicionibus pecuniam suppeditant
ope consociationum illarum, et vero etiam

ORATIO MONACHIENSIS 127–129

cum moderatores rei gerendae suffragiis eligendi rogandique comitiis sunt. Quis id gaudet? Consuevitne id ex norma in popularibus et civilibus fieri civitatibus?

- 5 Pecuniae suppeditatio est tacita. Nemo videt. Clam civium societatem. Quid ergo? Audio. Non solet id fieri. Id confirmare nec potestis nec poteritis umquam. Nullum enim his in rebus stat civitatis genus populare et
10 civile, cum potius civitatis status alter ad alterum auctoritatem adhibere conetur.

128. Nobis vero proponitur, ut provehamus civile genus societatis in Russia, ut cives eos, qui in re publica
15 versantur, percenseant et reprehendant, ut suos deprehendentes errores, valeant emendare rationem, qua civitatem gerunt, in rem utique civium Russorum. Cum id nobis in prima commendatione esse
20 dicamus, nemini occurrere dubitatio potest, quin et civium societati et consociationibus privatis voluntariis suppetias lataturi simus.

129. Adversus timores et alia id

ORATIO MONACHIENSIS 129–130

genus, tibine constat, hodie cives Russos minus vereri, quam cives in non nullis aliis civitatibus? Quid autem est causae, quam ob rem minus vereantur? His paucis annis remedia conquisiimus perquam efficacia, 5 ut cives nostri fortuna sua crescant. Multa etiamnunc manent nec levioris momenti, quae emendentur. Interdum sunt vitia remediis fortiora, praesertim incommoda quae cum egestate sunt coniuncta. Indequē 10 maxime, velut e fonte, scatent timores praecipui.

130. Difficilem sane censeo nodum et mehercle gravem, quem nobis diurnarii solvendum suppeditant. At diurnarii – 15 velut in transcurso huius rei mentionem facio – non solum in Russia, verum etiam alibi terrarum interdum necantur. Ubinam plurimi diurnariorum necantur? Tu, qui harum rerum es peritissimus, facile nosti qua 20 in civitate plurimi sint diurnarii necati hoc proxime lapso – agedum, dic – sesquianno. Numerus diurnariorum maximus, qui necati

ORATIO MONACHIENSIS 130–132

sunt, in Iraquia fuit.

131. Adversus vero res infandas
et minarum plenas intra Russiae fines
incunctanter conflicturi sumus, ut quam
5 plurimi scelerum auctores capti poenis
plectantur, ne, incepta sua persequentes,
in Russiae fide concutienda labefactanda
perseverent, cum laesione rei publicae apud
nos gerendae atque damno.

10 132. Quod meam propitiis auribus
orationem accepistis, amplissimis verbis
gratias ago.

15

20

ORATIO TAVRICA

Adloquium Praesidis Russicae
Foederationis pro Legatis ad Consilium
Supremum Civitatis (cui nomen Duma)
adlectis, sodalibus Consilii Foederalis,
principibus regionum Russicarum, civibus
de civili consortio lectis.
A.d. XV Kal. April., anno MMXIV
Moscoviae

ORATIO TAVRICA 1–3

1. Vladimirus Putinus, Praeses
Russiae: sodales Consilii Foederalis,
Legatos ad Consilium Supremum Civitatis
adlectos, hoc post meridiem tempore
salvere iubeo. Legati Rei publicae Tauricae 5
et Sebastopolitanae, locorum insignium,
nobis intersunt, et cives Russi in regione
Taurica et Sebastopolitana commorantes!

2. Amici officiosissimi, huc adsumus
hodie propter accuratam commentationis, 10
rem sane memorabilem quae ad omnium
nostrum vitam adtinet. In Taurica a.d. XVII
Kal. April. populi scitum factum est iussis
omnibus legibusque civitatis popularis
atque normis iuris gentium undique 15
congruens et convenientissimum.

3. Plures quam octogenae binae (82%)
centesimae partes civium ius habentium
suffragia tulerunt. Quorum plures quam
nonagenae senae (96%) centesimae partes 20
adsensere, suam patriam esse Russiae
iterum coniungendam. Non eget tantus
numerus interprete.

ORATIO TAVRICA 4–5

4. Quid sit causae, quam ob rem id
sibi placere patefecerint, non latet gnarum
antiquitatum Tauricarum, qui norit, quanti
Russia et Taurica numquam desierint
5 alteram altera facere.

5. Quae in Taurica sunt, nostram
veterum memoriam fuisse communem,
commune domesticum decus, indicant
omnia. Illam regionem tenuerunt veteres
10 Tauri, ibi Vladimirus regium principatum
obtinens baptismi unda lotus est. Cuius
egregie factum, religione orthodoxa
suscepta, fundamentum iecit morum et
institutorum, quibus gentes Russiam,
15 Ucrainam, Albam Russiam colentes inter
se vinculis devinciuntur arcissimis,
voluntatum, studiorum, sententiarum
summa consensione de his, quae in civili
cultu et humanitate sectanda fugiendaque
20 censeri oporteat. Russico imperio Taurica
adiuncta est tot virtute virorum, quorum
cineres apud Tauros in sepulchra sunt
conditi. Nec minorem habet Sebastopolis

ORATIO TAVRICA 5–7

laudem! Quae civitas paene fabulosa
locum obtinet altissimum per omne aevum,
e qua, velut e loco munito, ortum duxit
Classis Russica in Ponto Euxino constituta.
Non aliud Tauricam appellamus atque 5
Balaclavam, Panticapaeum id est Cercum,
arcem Malacoviam, iugum Sapun. Quae
loca animo aequae omnia diligimus, in
quibus perspicua micat imago bellicae
laudis et virtutis Russorum prae ceteris 10
singularis.

6. Gentes enim moribus et
institutis diversae ibi mirum in modum
intermiscentur. Nec hac parte multum
differt a Russia, siquidem nullam apud 15
nos per tot saeculorum memoriam constat
nationem extinctam esse. Etenim Russi,
Ucraini, Tauri Tatari ceteraeque non nullae
nationes iuxta viventes in Taurica, suum
quisque animum et mores et loquelam et 20
pietatem servarunt.

7. Id praeterea non est oblivioni
dandum: Paeninsulam Tauricam incolunt

ORATIO TAVRICA 7–9

hodie bis decies centena millia et ducenta
millia hominum, quorum decies ferme
centena millia et quingenta millia sunt
Russi, Ucrainorum vivunt 350 000 quibus
5 maxime sermo patrius Russicus est, quibus
accedunt Tataři Taurici, numero ferme
290 000 – 300 000, quorum animi, ut non
obscure per populi scitum fuit manifestum,
in Russiam propendent.

10 8. At fuit tempus, cum Tataři Taurici
iniquitatem in se experirentur. Quis neget?
Tum de aliis populis, tum de Tataris
praecipue male meriti sunt Sovieticae
Unionis magistratus. Populos multitudine
15 paene innumerabiles, praesertim vero
Russos cives, debilitatos, fractos, domitos,
cohibitos tunc temporis esse non equidem
inficias ibo. Tataři Taurici ad patrias sedes
reverterunt. Nobis autem id puto agendum,
20 ut publice legitimeque Tataros Tauricos
in pristina iura bonamque restituamus
famam.

9. Maximo apud nos sunt in honore

ORATIO TAVRICA 9–11

nationes Tauricam incolentes omnes.
Commune est illorum domicilium, ibi est
horum omnium natale solum. Suo certe
iure uterentur, si – quod plurimi illic cives
optant – populi in Taurica habitantes nullo
dignitatis discrimine tribus loquentur
sermonibus: Russico, Ucraino, Tatarico. 5

10. Sodales eximii, pectore et animo
semper sensit populus, non posse Tauricam
a Russia abscidi. Habet haec persuasio 10
fundamentum: minime est a veritate et iure
seiuncta, in saecula et in aevum ubilibet
propagata, superstes rerum mutationibus,
quae nostra in civitate labente saeculo XX
tumultuosae fuerunt. 15

11. Rerum mutatione per Bolsevicos
facta, nonnullis de causis – quo iure Deus
aliqui viderit- non exiguas regiones quae per
omnem hominum memoriam ad Russiam
Meridianam pertinuerant Rei publicae 20
Ucrainae contribuerunt, gentes illas esse
inter se maxime natura et indole dispare
minime in rationem ducentes. Hodie vero

ORATIO TAVRICA 11–12

regiones illae Ucrainae plagam efficiunt
inter Eurum et Noton sitam. Dehinc, anno
MCMLIV, consultum est, ut Regio Taurica
Ucrainae adiungeretur una cum civitate
5 Sebastopoli, quae tamen fuerat Civitas
Foederata. Quae omnia unius, qui tunc
Communisticae praeerat Factioni, Nicetae
Chruszczew consilio et auctoritate facta
sunt. Quid autem in causa illius decreti
10 fuerit – sive voluit se commendari ab iis,
qui in Re publica Ucraina versarentur, seu
saevas multitudinum coercitiones cupiebat
expiare, quae quarto decennio vicesimi
saeculi obvenerant- rerum scriptores
15 viderint.

12. Ad rem vero nostram nunc id
pertinet, arbitrio illius iussa omnia supremae
legis rupta esse, quae tunc temporis aequae
vigerent. Consilium fuit tacitum. Neque
20 mirum est, cives Tauros et Sebastopolitanos
suam non esse rogatos sententiam, cum
non soleat id dominatum occupantibus
cordi esse. Negotio confecto, certiores facti

ORATIO TAVRICA 12–13

sunt. Mirati sane causam sunt homines, cur
extemplo Taurica Ucrainae contributa esset,
sed plerumque – nemo nostrum id ignorat,
aperte dico- edictum nemini visum est maius
esse quam meram formam speciemque, 5
quandoquidem territorium intra fines unius
civitatis adiunctum erat. Tunc enim nemo
poterat sperare, futurum esse, ut Ucraina
et Russia in duas quandoque civitates
dispertirentur. Id quod factum videmus. 10

13. Nescio quo fato, somnia rata
facta sunt. Res publicae Sovieticae
conconsiderunt. Cursu rerum incitato plures
tunc homines non intellexerunt quanta
sollicitudini res illae essent, quidve illas 15
esset consecuturum. Non nulli homines ut
in Russia ita etiam in Ucraina et aliis in
rebus publicis, Consortionem Civitatum
sui iuris speciem et imaginem novam
fore sperabant, qua convestiretur status 20
rei publicae novellus. Unos nummos,
mercaturam unam, exercitum unum
civitatribus inter se communem polliciti

ORATIO TAVRICA 13–14

erant: vana promissa secuti, domesticam sui
populi magnitudinem concidere spectarunt.
Regione Taurica alius civitatis parte facta,
tunc demum Russi non furtum modo,
5 verum germanam patratam incommodo
suo esse expilationem intellexerunt.

14. Eodem tempore necesse est
fateri ipsam, inani imperii pompa,
Russiam Sovieticae Unioni labefactandae
10 contribuuisse. Quo rerum statu semel lege
sancito, Taurica iam et Sebastopolis,
nobilissimae regiones, in oblivionem
ierunt, quamquam in illa civitate navium
statio primaria fuerat Classis Ponticae.
15 Paene innumerabiles fuerunt homines, qui
cum dormitum ivissent in patria, orto die
expergefacti sunt extra patriam, cum noctu
qui prius fuissent cives, interea facti essent
coetus hominum natione moribusque a
20 portione civium maiore distincti intra
eas, quae Sovieticae fuerant, res publicas;
nationem autem Russicam facile maximam
gentium in mundo, vel saltem unam

ORATIO TAVRICA 14–15

e maximis, quae confinibus in partes describantur, fieri conspeximus.

15. Nunc vero, tot post annis, audio incolas Tauricae dicentes, anno MCMXCI secum actum esse indigne, quasi non 5 homines, verum sarcinae essent. Facere non possumus, quin consentiamus. De Russico autem civitatis statu, quid factum putemus? Quid de Russia loquamur? Demisit caput obsequens rebus. Cum tempora dira 10 appeterent, civitas ista nullo prorsus pacto poterat sua commoda tegere et defendere. Cives tamen aequo animo tantam historiae iniuriam ferre non poterant. Tot annos sine intermissione non privati solum cives, 15 verum etiam non nulli, qui in re publica versantur, homines voces suas extulerunt per aevum Tauricam Russiae portionem, Sebastopolim urbem fuisse Russicam confirmantes. Nemo sane nostrum haec 20 ignorabat, at rebus eo sese modo habentibus, nostrum fuit novo fundamento innisos cum vicina Ucraina, sui iuris facta, pacem

ORATIO TAVRICA 15–16

fovere. Interea nostra numquam desiit interesse, ut amicitiae necessitudines inter nostros et Ucrainae cives, utpote fraternis vinculis inter se adstrictos, proveheremus.

- 5 16. Hodie denique possumus libero loqui ore. Itaque in animo habeo vobiscum communicare minus indefinite, quid in negotiationibus ineunte Tertio Millennio locum habuerit. Herus Kuczma, qui tunc
10 temporis Ucrainae praesidebat, petiit, ut expeditiore cursu procurarem fines inter Russiam et Ucrainam definiendos. Illo enim tempore negotium infectum paene constiterat. Videbatur Russia agnovisse
15 Tauricam esse Ucrainae portionem, sed nihil in negotiationibus agebatur de finibus describendis. Quamquam rem esse in angusto videram, tamen nulla mora interiecta procurationes Russicae rei
20 publicae obnoxias iussi opera mature omnia conficere, quae ad confinia demonstranda pertinerent, eo proposito, ut nemini dubitatio esse posset, quin nos de facto

ORATIO TAVRICA 16–17

atque de iure censeremus, esse Tauricam
Ucraini territorii portionem, siquidem
assensi essemus, ut fines constituerentur,
quaestione in hunc modum expedita.

17. Ucrainae morem gessimus non in 5
rebus modo, quae ad regionem Tauricam
pertinebant, verum etiam cum ageretur
de confiniis maritimis in lacu Maeotio
et Bosporo Cimmerio constituendis, id
quod est sane arduum et spinosum. Tunc 10
enim id nobis fuit maxime persuasum,
nostra magnopere interesse, cum Ucraina
ut amicitia nobis foret, quae non propter
controversias de finibus insanabiles
esset concutienda. Haud quicquam aliud 15
opperiebamur, quam ut Ucraina in vicinia
amabiliter nostra permaneret; spes fuit, ut
simul Russi cives et homines in Ucraina
Russice loquentes, tum aliis in locis,
tum praesertim in plaga inter Eurum et 20
Noton sita et regione Taurica, intra fines
rei publicae popularis et civilis cultus
colentissimae, quae illorum tueretur iura

ORATIO TAVRICA 17–19

iussis legum obtemperans inter liberas civitates conditarum et Russiae esset amicissima.

18. Eventus tamen spem fefellit.

5 Identidem multi conatus capti sunt ad Russos cives sua rerum praeteritarum memoria, ultro etiam suo sermone exuendos, ut per vim, licet inviti, portioni civium similes efficerentur maiori. Praeterea
10 his viginti et amplius annis, quae est rei publicae civitatisque status inconstantia, perinde a Russis civibus atque ab aliis Ucrainae incolis haud parum poenarum exhaustum est.

15 19. Non enim obscurum esse censeo, quam ob causam Ucraini rerum mutationem optaverint, quos pertaesum plane esset hominum qui in libera re publica Ucraina versarentur, nomina identidem permutari,
20 ut Praesides, magistri administratorum, sodales Comitatus alii in aliorum pedetemptim substituerentur locum, ipsorum tamen animi non propterea in

ORATIO TAVRICA 19–20

civitatem eiusque cives fierent humaniores.
Civitatis ubera – ut ita dicamus – siccarunt
de potestate, de bonis, de pecunia inter se
certando, homines neglexerunt communes,
nihil mirati, quatenus esset causa, cur 5
paene innumerabiles cives, spem domi
prospicientes nullam, emigrare cogerentur,
peregre sibi ut quaestum victumque
pararent in diem mercenarii famulantes.
Id maxime urgere aveo: homines illos 10
non quandam Siliconiam Vallem petituros
emigrasse, verum se contulisse illuc, ubi
in diem mercenarii dominis famularentur.
Superiore anno non minus quam tricies
centena millia hominum id genus operam 15
in Russia navarunt. Ad vicies millies
centena milia dollariorum sunt qui
aestiment lucrum ab istis operariis factum,
quae mensura propemodum accedit ad
duodenas centesimas partes (12%) Lucri 20
Domestici Integri (GDP) Ucrainae totius.

20. Penitus perspicio – in hoc creber
esse volo – causam, quam ob rem homines

ORATIO TAVRICA 20–21

in plateam sese effuderint Maidanensem,
pacem advocantes, corruptelam
improbantes, administrationem civitatis
ineptam ac taetram egestatem indignantes.

- 5 Idcirco iure licet civibus per pacem
refragari, ut liberis suffragiis in populari
civitate pro displicentibus magistratus
substituantur probatiores. Atqui, telas rerum
10 in Ucraina novissime actarum tecte orsi
sunt homines, qui, potestatem sitientes, ad
omnia expediti, alio propositis suis nomine
imposito, novam rei publicae moderandae
vicissitudinem appetebant. Terrorem
inferre, neces patrare, nefarias concitare
15 seditiones non dubitarunt. Viri suae nationis
paene fanatici, nazismi fautores recentes,
Russorum timidi, osores Iudaeorum id
egerunt hodieque in Ucraina tenore eodem
consiliorum obstinati perseverant.

- 20 21. Qui se dicunt magistratus principium
fecerunt legem rogantes de reformanda
loquelarum ordinatione, cuius virtute
futurum esset, ut iura civium per nationem

ORATIO TAVRICA 21–22

numero inferiorum protinus infringerentur.
Quamquam, qui his, quos vocant rei
publicae moderatores peregre favent, sine
mora ad bonam frugem illos revocarunt.
Nihilo minus, horum, qui nunc rem gerunt, 5
monitores sunt sine controversia callidi et
versuti, cum probe norint, quo tales conatus
aedificandi Ucrainum civitatis statum
nihil in se admixtum dispar sui habentem
evadere possint. Legis rogationem 10
seposuerunt in posteritatem servatam. Vix
quicquam his temporibus de illo conamine
recolunt, rati fortasse populum longius
memoria repetere praeterita non posse. Sed
tamen satis perspectum habemus animum 15
istorum illius Bandera sectatorum, qui
Bello Mundano II Hitleriani sceleris adfinis
fuit.

22. Illud aequè in promptu est, nullam
hodie legitimam exsecutoriam potestatem 20
in Ucraina versari, quem alloquamur
neminem esse. Non nulla moderationis
munera impostores penes sunt, qui tamen

ORATIO TAVRICA 22–24

summo imperio carent, cum ipsi vicissim
in arbitrio sint extrema sequentium, id
quod strenue urgere volo. Fit interdum,
ut quosdam horum qui ad rei publicae
5 gubernacula sedent administros convenire
non possis, nisi permissu illorum, qui in
Maidanensi platea sub signis militant suis.
Semoto ioco dico, ita res se habent.

23. Violentae rerum mutationi
10 refragantes minaciter repressi sunt. Quorum
primum – ut par est – locum obtinuerunt
Tauricam incolentes, qui Russico loquuntur
sermone. Quae cum vidissent, qui Tauricam
inhabitantes quique Sebastopoli degunt,
15 Russiam in auxilium vocarunt, quae
ipsorum iura vitasque tuendo principiis
obstaret rerum, quae tunc fiebant hodieque
ferri in civitate Kioviensi, et Donetici et
Charcoviae et aliis in Ucrainae urbibus
20 non destiterunt.

24. Non poteramus videlicet facere,
quin invocantibus auscultaremus. Non
licebat per nos Tauricam deseri, inhabitantes

ORATIO TAVRICA 24–26

in discrimine acieque relinqui. Illos
nostrorum opera prodi non fuit tolerandum.

25. Primus aditus fuit, operam ut
daremus constituendis condicionibus
idoneis, ut Tauricae incolis, tunc primum 5
per omne aevum, liceret per pacem
manifestare, quid in postfuturum libero sibi
optarent arbitrio. Quid autem audivimus
ab illis, qui nobis et in Europa ad occasum
vergenti et in America Septemtrionali sunt 10
socii? In gentium ius nos gravem admisisse
noxam. Illud ante omnia probamus, illis non
penitus ex animis excidissee aliquid praesto
esse, quod ius gentium vocari consuerit –
praestat sero, quam numquam. 15

26. Alterum post illud multoque
gravius id est: quid potissimum vocent,
in quo gravis a nobis admissa noxa sit,
quaerimus. Ut verum fatear, Coetus
Comitalis Superioris consensu ac munere 20
Praesidi licuit arma in Ucrainam inferre.
Quamquam, si aequi rerum iudices esse
volumus, nemo fuit, qui ob hanc datam

ORATIO TAVRICA 26–27

potestatem quicquam fecerit hucusque.
Russi milites, virtute foederis inter
liberas civitates icti cum illic iam dudum
versarentur, tamen Tauricam ingressi nullo
5 umquam tempore sunt. Incrementum ibi
copiarum certo profecto fecimus, non ultra
tamen numerum – audite, quaeso, omnes
et cognoscite – 25 000 armatorum, quo vis
nostrorum hominum in Taurica terminatur.
10 Nulla fuit enim causa, cur eum numerum
excederemus.

27. Huc accedit, quod, cum illi se in
libertatem adseruissent, populiue scitum
rogare constituissent, Supremum Tauricae
15 Consilium ad Unitarum Nationum Chartam
rettulit, in iis quae in ipsa edicuntur de
iure quo gentes fruuntur, sese libere ut
determinent. Data occasione, de hac re
vos admonere volo, Ucrainam, cum a
20 Sovieticarum Rerum publicarum Foedere
secederet, admodum eadem egisse, quae
nunc Tauri agunt, neque transversum
unguem ab hac discessisse via. Ucraina

ORATIO TAVRICA 27–28

hoc iure potita est, Tauricae vero incolae prohibentur. Quid causae est, quod haec fiant?

28. Adde quod Tauricae magistratus ad exemplum Kossovae pernotum 5 rettulerunt – quod exemplum socii, quos in partibus ad Favonium spectantibus habemus, paene suis ipsorum manibus fabricaverunt in condicionibus huic casui simillimis, albo calculo adiecto, ut inaudita 10 altera parte Kossovae cives a Serbia se seiungerent (id quod nunc ipsum Tauri efficere conantur) legitime, vel iniussu magistratuum civitatis principum. Ex articulo 2 et capite 1 Unitarum Nationum 15 Chartae, illud quod omnium gentium est Tribunal Nationum Unitarum, eiusmodi rationi consentiens a.d. XI Kal. Augustas, anno MMX, hanc tulit sententiam, cuius verba nominatim laudo: “Ex usu atque 20 consuetudine Consilii de Incolumitate nulla universi generis prohibitio inferri potest in rebus, quae ad libertatis adsertionem

ORATIO TAVRICA 28–29

pertinent”, nam “gentium iura ad communes quaestiones constituta nullo prorsus pacto libertatis adsertionem denegant”. Verba sole, ut aiunt, lucidiora.

- 5 29. Non equidem soleo aliena verba
in iudicium vocare, sed in eiusmodi casu
aliter fieri nequit. Verba igitur profero ex
aliis tabulis publicis deprompta, quibus
Civitates Foederatae Americae a.d. XV Kal.
10 Maias, anno MMIX, apud idem omnium
gentium Tribunal Nationum Unitarum de
admissionibus ad Kossovam attinentibus
suam scriptis aperuerunt sententiam.
“Fieri potest –inquiunt-, ut interdum
15 libertatis adsertione domesticae iussa legis
perfringantur, id quod frequenter fieri
constat. Non tamen propterea ius gentium
perfringitur.” Hucusque aliena memoravi.
Talia scripserunt, talia toto terrarum orbe
20 disseminaverunt, talibus plausum omnium
excitarunt, nunc vero suscensent. Quam
ob rem? Quidquid Tauri egerunt, id omne
perbelle congruit mandatis istis. Nescio quo

ORATIO TAVRICA 29–30

pacto, quae Illyriis in Kossova degentibus
(quos maximo prosequimur honore)
perficere licuit, eadem Russi, Ucraini,
Taurici Tataři in Taurica regione perficere
vetantur. Iterum miramur, cur id fiat. 5

30. Foederatae Civitates et Europaei
ad occasum habitantes perseverant, in
Kossovae casu eventus fuisse extra ordinem
et singulares. Quid est tamen, quod, de
sententia sociorum nostrorum, eum casum 10
admodum singularem efficiat? Explorantes
argumenta, perspicimus in eo potissimum
causam esse sitam, quod bello Kossovano
vis hominum necati sint ingentissima.
Estne id argumentum generis legalis? 15
In decreto quidem certe, quod omnium
gentium Iudices dixerunt, de his rebus nihil
scriptum accepimus. Non sunt pondera
iniqua, sunt ora cynicorum impudentium,
incultorum, quorum acies videtur esse 20
obtusa. Miserum est suum commodum
adipisci velle crudelitatem exercendo: est
enim modus quidam adhibendus, quem

ORATIO TAVRICA 30–32

ultra progredi non oporteat. Non decet virum probum, quod hodie esse candidum statuerit, idem cras atrum vocare. Si hac ratione rem ineamus, oporteat igitur in
5 qualibet conflictione necesse fieri.

31. Palam dicam: nisi copiae iis locis sese gladio defendissent, si res alieno arbitrio reliquissent, non dubito, quin multis moriendum fuerit. Quod forte
10 fortuna non evenit. Nusquam in Taurica pugnatum est, nemo letum oppetiit. Quam esse causam censetis? Facile vobis responsum hoc habeatis: perdifficile, ne vanum ineptumque dicam, adversus
15 populi voluntatem configere. Hoc autem loco libenti animo gratias ago militibus in Ucraina stipendia merentibus: 22 000 virorum sunt in armis. Gratias ago omnibus iis, qui in Ucraina munere fungentes,
20 occisionibus abstinerunt, ut ne vestes suas interfectorum sanguine suffunderent.

32. Aliae quoque res in mentem veniunt, cum his factis coniunctae.

ORATIO TAVRICA 32–33

Contumaciter adseverant, Russiam
Tauricae intervenisse, quasi regionem
illam adorta esset. Res mirifica et inaudita.
Nihil simile in mentem mihi venit
post hominum memoriam: exercitum 5
intervenisse nullis missibilibus eiectis,
nullius hominis nece facta.

33. Viri sodales, in rebus Ucrainis
tamquam in speculo cernimus quae fiunt
quaeque facta sunt toto terrarum orbe 10
his decenniis. Gemina polorum ratione
collapsa, magno prope motu res omnes
nutare videntur. Instituta omnium gentium
maximi momenti non corroborantur; nam
contra haud raro debilitantur. Socii nostri, 15
qui in partibus Occidentis versantur,
sub imperio Foederatarum Civitatum
Americae, in usu rei publicae gerendae
malunt ius gentium omittere, ut cedat
armis toga. Consuerunt iam opinari, se esse 20
eximios et singulares, sibi que permissa
esse totius orbis fata, se solos vera semper
sentire. Quod volunt, faciunt: passim vim

ORATIO TAVRICA 33–34

adhibent adversus civitates liberas et sui
iuris, foedera iungunt hac condicione: Qui
non sit secum, adversum se esse. Tales
impetus legitima quadam et sacrosancta
5 specie induere conantur, cum iuris gentium
institutorum voluntates impellant quo
velit; quod ni forte successerit, satis
habebunt Consilium Unitarum Nationum
de Incolumitate neglegere. Quid? Quod
10 ne Nationes quidem Unitas numero aliquo
putabunt.

34. Id potissimum in Iugoslavia
factum vidimus anno MCMXCIX, cuius
memoria indelebilis manet. Vix fidem et
15 auctoritatem meis ipsius oculis tribui, cum
conspicerem Belogradum, civitatem in
Europa principem, inclinante iam saeculo
XX, plurimos dies missilibus ante peti ac
pulsari, priusquam veri nominis bellum
20 interveniret. Num de his rebus Unitarum
Nationum Consilium de Incolumitate
decretum tulerat, ut potestatem harum
actionum daret? Nullo prorsus pacto.

ORATIO TAVRICA 34–35

Deinde Afghanistaniam et Iraquiam
pulsaverunt, nec temperaverunt – ut
quem ad modum sentiam, sic loquar- a
violando decreto Unitarum Nationum de
Incolumitate Consilii de Libya, quippe qui, 5
pro volatu per illas caeli plagas vetando,
pyrobolos iaculari coeperint.

35. Haud exiguum explent numerum
illae quae coloratae vocantur seditiones
nescio cuius arbitrio excitatae. Non est in 10
dubio, quin homines in illis civitatibus,
in quibus seditiones locum habuerunt,
degentes pertaesum esset tyrannidis
atque egestatis, cum nihil boni sibi post
futurum prospicerent; non defuit tamen 15
qui horum talium affectuum fructum
praecerperet impudentissime. Eos populis
illis impegerunt mores, qui vehementer
abhorreant ab ipsorum vitae institutis
consuetudine firmatis. Quibus spes fuerat 20
civitatis popularis et libero homine dignae,
obvenit pro sedata re publica rerum omnium
perturbatio, pro pace violentia, pro quiete

ORATIO TAVRICA 35–37

denique tumultus et trepidatio. Arabum ver
in hiemem Arabicam exiit.

36. Neque secus in Ucraina factum
est. Anno MMIV, ut ille, qui quibusdam
5 volentibus esset, candidatus Praeses
suffragiis crearetur, tertio comitia Praesidi
rogando habuerunt, id quod cum legibus
minime coniunctum videtur esse. Rem
publicam irriserunt intolerabiliter, iussa
10 supremae legis ludibrio habuerunt. Nunc
vero militum copiam induxerunt in ordinem
confectam et armis perquam instructam.

37. Quid fiat, probe intellegimus.
Haec omnia – plane perspicimus – in eum
15 praecipue fiunt finem, ut incommodo sint
Ucrainae, Russiae voluntatique regiones
inter Europam et Asiam sitas in unum
consociandi. Quae omnia eo ipso tempore
fiunt, quo colloquia cum sociis, quos in
20 Occidente habet, Russia fovere strenue
conatur. Tempus quidem certe nullum
parum idoneum putamus suasioni, ut vires
coniungamus de iis, quae fieri praesertim

ORATIO TAVRICA 37–39

sit necesse, rebus. In optatis est, mutua ut augeatur fides, ut commercia intercedant inter nos aequa, sincera, legitima. At socios non videmus nobiscum pariter procedere.

38. Nam contra plus semel ad nos 5
mentiti sunt, clam nobis consilia ceperunt, acta agere nos coegerunt. Id quod gestum vidimus, perinde cum in regiones ad Solem orientem sitas Confoederatio Atlantica (NATO) propagaretur, atque cum nostris 10
in finibus substructiones castrenses collocarentur. Idem semper obtundunt: “Vestra id non interest.” Dictu quidem est proclive, itaque volgo loquuntur.

39. Similiter egerunt, clipeum ad 15
missilia proturbanda disponentes. Spretis nostris omnium animi trepidationibus, propositum perficitur ac provehitur. Ecquid aliud factum est, cum vel de permissionibus peregre exeundi sine ullo fine disputaremus 20
vel promissa de aequa competitione facultateve ad orbis terrarum mercaturam libero pede accedendi exspectaremus?

ORATIO TAVRICA 40–41

40. Nunc vero minitantur, futurum esse, ut nos sanctionibus multemur. Tamen temporibus, quae retro fuerunt, experti iam sumus coercitiones in quaestum
5 pecuniae et rem publicam – in quo sunt omnia – praesertim redundantes. Iam antequam bellum frigidum confectum est, Civitates Foederatae, quas ceterae dein imitatae nationes sunt, ut restringerent
10 copiam apparatus et inventorum, quae venalia Sovieticae Unioni proponi possent, indicem redegerunt Procurationis Mercibus Exportandis Multipliciter Inspectandis (CoCom). Hodie verbo coercitiones
15 evanuerunt, specie quidem; re tamen non nullis limitationibus afficimur.

41. Ut paucis absolvam, non iniuria opinamur prohibitiones, quae per ignominiam saeculis duodevicesimo,
20 undevicesimo, vicesimo essent statutae, nondum ad aliquid extremum pervenisse. Nondum destiterunt nos in angulum idcirco detrudere conari, quod nostro utimur

ORATIO TAVRICA 41–43

iudicio et obsistimus refragantibus, quod
res suo nomine vocamus neque illorum
imitamur simulationes. At est modus in
rebus. In rebus quae ad Ucrainam pertinent,
socii, quos in partibus Occidentis habemus, 5
lineas transiluerunt, ursino more egerunt,
imprudenter et inofficiose se gerentes.

42. Ceterum probe noverant, multies
decies centena millia Russorum esse,
qui in Ucraina et in Taurica degerent. 10
Caruerunt isti homines— ad veritatem
dico— sensu negotiorum publicorum et
communi hominum prudentia, siquidem
non prospexerunt sua facta quem eventum
essent habitura. Russia se repperit eo loco, 15
unde regredi non liceret. Fonte represso,
fluenta necessario per vim eruptura sunt. Id
memoria semper tenete.

43. Oportet hodie finem huius insaniae
faciamus. Necesse est inania verba, quae 20
Frigidum Bellum sapiunt, reici, ut ipsa,
quae in propatulo sunt, facta agnoscamus:
Russiam esse civitatem liberam sibi

ORATIO TAVRICA 43–45

obnoxiam, quae sedulo in omnium
gentium negotia sese consociat. Ritu
ceterarum nationum, sua commoda fovet,
quorum ceterae civitates rationem habeant
5 reverenter oportet.

44. Eodem tempore gratiam habemus
omnibus, quicumque ecquid esset, quod
in Taurica ageremus, intellexerunt;
gratiam habemus populo Sinensi, quorum
10 principes perpetuo res, quae in Ucraina et
in Taurica agerentur, existimantes totum
quasi historicum ac politicum contextum in
rationem induxerunt; magnopere fecimus
Indiae modestiam et aequum rerum
15 iudicium.

45. Sinite me hodie alloqui populum
Foederatarum Civitatum Americae. Hic
populus inde ab initiis suae Nationis, cum se
sui iuris esse cives declarassent, libertatem
20 praeter ceteras res omnes suis in caelum
verbis extulit. Ecquid aliud optant sibi cives
Tauricae regionis, quam ut sibi liceat suo
arbitrio fata sua eligere et in pretio habere?

ORATIO TAVRICA 45–47

Nos, quaeso, intellegite.

46. Germani quoque inter Europaeos, mea quidem sententia, primi et omnium maxime eloquium meum intellecturi sunt. Id recolere iuvat: quo tempore consulebatur 5 de utraque Germania in unum cogenda, in non nullis gentibus, quae nunc cum Germania foedus ictum habent, homines fuisse imprimis peritos, qui consilio vestro refragarentur. Nostra tamen gens 10 sine ambagibus suffulsit sinceram neque coercendam voluntatem Germanorum, qui suam patriam unam esse appetebant. Non dubito, quin haec non sitis obliti, ideoque opperior futurum esse, ut Germani pariter 15 foveant animum Russorum, qui veteris Russiae memores suae patriae inhiant redintegrandae.

47. Aeque populum Ucrainum alloqui volo. Rationes nostras – non dicam secus ac 20 sentiam – ut perspiciatis rogo. Non id nobis est propositum, ut vos ullo modo pulsemus dilectionemve quam in patriam sentitis

ORATIO TAVRICA 47–48

vulneremus. Nullum fuit tempus, cum minus
reverenter prosequeremur Ucraini territorii
integritatem, longe secus agentes, atque –
obiter dico- ii, qui cupiditate dominationis
5 allecti sacrificium fecerunt unitatis nationis
Ucrainae. Verbis magnificis ecferebant
amplitudinem Ucrainae, actu tamen
omnem moverunt lapidem, nationem ut
dividerent. Si res hodie in angusto haerent,
10 in culpa illi sunt tantum. Praebete mihi
aures, quaeso, intentas, amici. Ne fidem iis
habeatis, qui vobis metum Russiae inicere
conantur, alte clamantes, futurum esse, ut
Tauricam aliae regiones sequantur. Non
15 nobis proponitur Ucrainae diductio; nobis
id fieri opus non est. Taurica tamen regio
est Russica, Ucraina, Taurica Tatara, et
eiusmodi mansura est.

48. Qualis –inquam– fuit per multos
20 centenos annos, talis esse non est destituta
haec regio, in qua gentes omnes ibi morantes
domicilium habent suum. At tempus erit
nullum, cum illius Bandera vestigia sint

ORATIO TAVRICA 48–50

premenda!

49. Tauricam posteritati hereditati tradimus; ipsa quasi fulcimine totius regionis nititur stabilitas. Territorium illud, ut quod vi polleat maxima propter 5 collocationem, oportet civitati cum summa rerum potestate coniunctae adhaereat, quae quidem, ut nunc se res habent, sola Russia esse potest. Quod ni fiat (perinde Ucrainam nunc atque Russiam alloquor), periculum 10 est, ne ambo, Russi atque Ucraini, Tauricam omnino amittamus, neque ita multo post. Talia, quaeso, animis versate.

50. Id aequae in luce collocare volo: iis, qui in re publica Kioviensi versantur, rem, ut 15 ipsi audivimus, de Ucraina Confoederationi Atlanticae cito iungenda probari. Quod si fieret, quis exitus Tauricam et Sebastopolim in reliquum tempus maneret? Classis Confoederationis Atlanticae iussis obnoxia 20 in ea ipsa sedem suam collocaret civitate, in qua Russia imperio et bellica laude floruit, neque minimum inde Russiae meridianae

ORATIO TAVRICA 50–51

minarum proveniret, non opinione, sed
ex vero. Nec multum afuit, quin res
ratae presentesque fierent, nisi populus
Taurorum, quibus gratias hodie persolvo
5 ingentissimas, firma voluntate his consiliis
obstitisset.

51. Non prohibemus –aperte dico–
operam cum Confoederatione Atlantica
sociari, nullo prorsus pacto. Res tamen
10 hoc loco longe aliter se habent. Cum enim
Confoederatio Atlantica, quantum spectat
ad intimam sui constitutionem, non desinat
esse genus quoddam militaris foederis, non
utique adstipulamur foederi militari, cuius
15 socii ut in nostrarum hortis aedium, ita in
territoriis, quae nullo per aevum tempore
nostra non fuerunt, perinde agunt, ac si domi
apud se versarentur. Equidem non possum
20 Atlanticae Confoederationis visitemus.
Adulescentes sunt illi quidem praeclari,
sed multo praestat illos ad visendos nos
venientes excipi hospitio, quam contra fieri.

ORATIO TAVRICA 52–53

52. Non autem dissimulabo, mihi magno dolori esse conspectus rerum, quae nunc in Ucraina fiunt: homines graviter adflictari, incertos quem ad modum hodiernum transmittant, quid in posterum 5
opperiantur. Quo animo simus, facile perspectum habet, quisquis consideravit, non esse nos populos mere propinquos, cum potius – ut saepius dixi – populus unus simus ambo. Kiovia enim fuit urbs, 10
e qua, velut e matre, ceterae Russiae urbes prognatae sunt omnes. Qua de re seiuncti esse non possumus.

53. Adde quod multies centena millia Russorum et Russice loquentium hominum 15
ut nunc in Ucraina degunt, ita posthac non desinent vivere. Horum commoda Russia nullo non tempore defensura est rerum civilium peritia, auctoritate legatorum publica, legum denique subsidiis usa. 20
Quamquam Ucrainae imprimis videtur interesse, ut iura et commoda illorum hominum diligenter tueatur. In hoc enim

ORATIO TAVRICA 53–55

situm est fulcrum stabilitatis Ucrainae rei publicae, in hoc tutela integritatis territorii illius.

54. Volumus amicitiam Ucrainae
5 retinere, volumus Ucrainam civitatem
esse firmam, sibi obnoxiam sibique
sufficientem. Ucraina enim non minima e
sociis est nostris. Non nulla consilia simul
molimur, quae cuncta prospere eventura
10 esse arbitramur; nihil ad rem pertinet, qui
obices nunc opponantur. Res autem suo
ipso molimine gravis haec est: in Ucraina
pacem volumus et concordiam esse. Id
ut consequamur, prompti sumus operam
15 cum aliis civitatibus omni ope nitentes
consociare nullamque in nobis esse moram
confirmo. Attamen, ut dixi, solis Ucrainis
licet domum suam in ordinem redigere.

55. Cives Tauricae et Sebastopolitani,
20 vestram tota Russia virtutem mirata est,
honorem probavit, obstupuit audacia. Quid
in Taurica futurum esset, vos deliberastis.
Diebus illis finitimi magis quam umquam

ORATIO TAVRICA 55–57

fuimus, quia enim, acerbitatibus et
incommodis per mutuam opem perferendis,
dilectio inter nos fuit admodum sincera.
In tanto discrimine acieque solent populi
manifestam facere firmitatem sui iudicii 5
animique virtutem. Russi animum sibi
esse firmum et maturum ostenderunt, cum
opibus consilioque suos cives iuvarent.

56. Hanc animi firmitatem in tractandis
rei publicae cum exteris gentibus 10
necessitudinibus, Russi ut e voluntate
multies centenorum millium hominum
ita ex nostrae nationis concordia
coniunctioneque ita ex non rarorum civium
tum in honoribus vehendis tum in negotiis 15
publicis gerendis auctoritate et amplitudine
pollentium auxilio hauserunt. Pro patriae
caritate in omnes ad unum, nullo excepto,
gratus sum vehementer. Nunc vero
pergendum est, ut servata concordia, 20
fulciantur opes ad nostrae civitatis officia
posthac persolvenda necessariae.

57. Foris non est dubium, quin multos

ORATIO TAVRICA 57

adversarios inventuri simus, sed tamen hoc consilium ad verum perducere debemus, nobis providendi causa. Sumusne nostram defensuri rem publicam libertatemque?

- 5 Quousque tandem, in perpetuum, receptui canemus? Quem ad finem pergemus manus dare victas? Audimus in regionibus ad occasum vergentibus nescio quos in re publica versatos, nobis non sanctiones modo
- 10 minitabundos, verum etiam incrementa gravium domesticarum aerumnarum denuntiantes. Sed scire cupio praeclare, quid agere velint. Num quid sceleris cogitant per incompositum manipulum
- 15 proditorum nostrae gentis admittendi? An spem foveant, fore ut in discrimen aciemque producamur, cuius populum vehementer paeniteat? Non haec sunt verba hominis sui officii gnari. Sapiunt inimicum litigantem,
- 20 nos vero parem facturi sumus rationem. Non propterea tamen per idem tempus occasionem speculabimur concursum acrem cum sociis nostris faciendi, sive

ORATIO TAVRICA 57–58

Orientis sive Occidentis incolunt regiones,
cum e contrario omni nisu id acturi simus,
ut civiliter et officiose viciniam colamus,
quem ad modum nostram aetatem fieri
debet.

5

58. Viri sodales, plane perspicio,
quibus rationibus impulsus Tauri eloquio
quam maxime perspicuo populi scitum
rogaverint: deberetne Taurica Ucrainae
an Russiae coniungi? Id omni dubitatione 10
maius putamus, quod qui Tauricae regionis
urbisque Sebastopolis potestatem haberent,
qui leges ferendi scribendi auctoritate
pollerent, cum percontationem scriberent,
nulla hominum acceptione, seposita 15
dominandi libidine, solum rei publicae
civiumque commodum sibi proposuerint.
Ratione temporum, quae retro fuerunt,
gentium ibi commorantium, rei publicae
gerendae, pecuniae denique comparandae 20
et aerarii administrandi habita, nihil
aliud de Taurica consultandum fuit. Ut
esset illecebris primore aspectu plenum,

ORATIO TAVRICA 58–60

tamen quodvis aliud consilium fluxum
fragileque, eius consecutiones in
detrimentum populi iam misere vexati
nefandae fuissent. Populus Taurorum
5 propterea voluit palam aperteque rogatum
proponere, ambagibus missis, nullam inter
diversa consilia mediam viam tenendo.
Populi scitum fuit aequum et apertum,
Tauri vero diserte ac persuasibiliter quid
10 vellent manifestarunt: cum Russia se esse
velle.

59. Russis nunc consilium non facile
capiendum est, rebus cunctis domi forisque
perpensis et excussis. In Russia verum
15 homines quid sentiunt? Quem ad modum,
ubicumque in populo sunt omnia, fieri
solet, apud nos quoque alii aliter sentiunt.
Id tamen in luce collocabo, quidquid est
quod cives sentiunt, portio eorum longe
20 maior non obscure Tauricis factis favent.

60. Qui nuperrime in Russia vulgi
opinionum sunt perscrutati, reppererunt fere
omnes, dempta quina populi centesima

ORATIO TAVRICA 60–61

parte (95%), censere, Russiae officium
esse, ut commoda Russorum et aliorum
coetuum nationalium in Taurica degentium
tueatur. Dempta quina centesima parte, qui
manent sunt numerus maxime copiosus. 5
Excedunt octogenam ternam (83%)
centesimam partem ii, qui opinantur ab eo
quod semel instituerit, non esse Russiam
per metum deducendam, ne, quae inter nos
ceterasque exteras civitates intercedant 10
necessitudines, evadant difficiliores.
Octogenam senam (86%) centesimam vulgi
partem explent ii, qui putant, Tauricam
etiam nunc portionem Russici territorii
esse, quae civitati inhaereat nostrae. Cuius 15
facti pondus tum in omni re, tum in hoc
maxime negotio potes existimare: quod par
est apud nos et in Taurica numerus eorum,
qui Tauricam iterum esse asciscendam
volunt, petunt, postulant; id quod per populi 20
scitum in regione illa civium centesima
pars nonagena bina (92%) alte clamavit.

61. Hinc patet, portionem Taurici

ORATIO TAVRICA 61–63

populi sine controversia maximam,
quorum in sententiam non minor it civium
Russicae Foederationis numerus, consilium
de Re publica Taurica seu Crimaea cum
5 civitate Sebastopoli Russiae iterum
coniungenda fovere.

62. Nunc quidem, ut res se habet, ad
rem pertinet, quid consilii qui in re publica
Russica versantur capiendum constituent,
10 consilium autem capi nequit nisi ex populi
voluntate, nam in populo sunt omnia.

63. Sodales Consilii Foederalis,
Legati ad Consilium Supremum Civitatis
adlecti, cives Russiae, incolae Tauricae et
15 Sebastopolitani, hodie, populi voluntati
obtemperans, Coetui Foederali rogationem
perfero, ut consulatis de Lege Generali
ferenda, cuius edicto intra Russicam
Foederationem nova corpora instituantur
20 duo: Res publica Taurica seu Crimaea
atque urbs Sebastopolis, utque ratum
habeatis foedus de Crimaea et Sebastopoli
ad Russicam Foederationem admittendis,

ORATIO TAVRICA 63

quod iam conscriptum sola obsignatione
caret. Mihi animo spondeo, vos opem esse
certo profecto laturos.

5

10

15

20

ARGVMENTVM

ORATIO MONACHIENSIS	5
ORATIO TAVRICA	81

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS


AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS

AD NOTAS



CVRA ET STVDIO SOCIETATIS TSARGRAD
ID EST CONSTANTINOPOLIS